ADDENDA ET CORRIGENDA

IN

COMMENTARIIS PINDARI.

SCRIPSIT

FRIDERICUS HEIMSOETH

LITTERAS GRAECAS PRIVATIM DOCENS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA.

PARS PRIOR.

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN

COMMENTARIIS PINDARI.

SCRIPSIT

FRIDERICUS HEIMSOETH

LITTERAS GRAECAS PRIVATIM DOCENS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA.

PARS PRIOR.

PROSTAT

BONNAE APUD EDUARDUM WEBERUM.

MDCCCXL.

L. B.

Pindari carmina perlegi cum commentariis, ut, quae nondum explicata viderentur in illis, explicarem, si possem, ipse. Quod ita institui, ut legens carmina, inspiciens quascunque comportare potui editiones, versiones, commentarios, adnotationes singulas, ubi ab omnium decretis meam discrepare viderem sententiam, notarem; mitterem, ubicunque mea inveniretur licet ab uno inter reliquos omnes et vetustissimo indicata. Unde nomen libelli. Divisi autem omnem mihi rem in duas partes, quarum altera interpretationem grammaticam et singularum sententiarum, altera poeticam et universi cuiusque carminis explicationem amplectitur. Itaque nunc quidem eos attigi locos, in quibus structura verborum vel subiectum sententiae vel praedicatum vel pronominis alicuius vis vel vocis cuiuslibet, ex qua totius sententiae intellectus penderet, sensus et similia a nemine dum videbantur recte non dico intellecta, quod nescio, sed publice quidem explicata esse. Deprecor, si nescius hic illic explicationem

scripsi ab alio iam prolatam. Quae ipse, his emissis, praeterea invenero in commentariis non expedita, ea in altera addam addendorum parte. Nisi si qua levioris fuerint momenti, quae sciens nunc quoque praetermisi.

Ceterum, quod sententiam plerumque meam non breviter tantum, quod soleo, si licet hoc addere, scripsi, sed argumentis etiam ac verisimilitudinibus, quibus ratiocinari ac persuadere sibi et aliis interpretes vulgo solent copiose, additis fere nullis: consulto id factum est. Nam intelligenda videntur graeca scripta nobis eodem modo, quo a graecis intelligebantur h. e. per necessitatem sensus, quae in verbis quibuscunque ex significatione verborum et ratione, qua dicta sunt, existit. Quam necessitatem nos quidem propter imperitiam linguae omnigenam non assecuti saepe varias in iisdem verbis legimus sententias. Quare si quis intelligere, quod alii non intellexerint, sibi videtur, ex sua ille linguae peritia, ubi et quare peccatum sit, necesse est ostendat. Alius vero cuiuscunque generis argumenta mihi ne ferenda quidem iamiam videntur per fines philologiae. Nam neque ulla in illis quae vere ita dici possit inest vis ac fides — ut argumentemur: haec verba hoc dicunt, nam illud et illud et illud ita se habet; quod genus argumentandi inhonestum mihi videtur eoque omnino reii-

ciendum, ubi non quaeritur, quid dicatur his vel illis verbis, sed quid potuerit nunc dici vel debuerit h. e. ad rem criticam — et talibus nixi in legendo continenter adminiculis (nam is illorum usus est, ut, quae per verba non intelligamus certo modo, auxilio illorum adiuti perspiciamus) prohibemur, nisi me fallit sententia, in diem, praeter singularia huius aetatis nostrae impedimenta, omnes, quominus accuratiorem nobis linguae peritiam comparemus. Attamen unum nobis opus est cuiusvis generis philologis: linguam callere, ex cuius ignorantia nostra non plurimi in legendis veterum scriptis proficiscuntur errores, sed ἁπαξάπαντες. Deinde aures animumque attendere ad rationem, qua verba quaeque dicantur; quod praeter consecutionem sententiarum in veterum scriptis collocatione verborum, dein in carminibus, qualia Pindarica sunt, rhythmis intelligitur, qui pronunciationem verborum certissime sistunt. De quibus rebus tria praeponam e Pindaricis exempla.

In pythico carmine sexto victoria Xenocratis thesauro comparatur Delphis condito, quem non imber edax, non aquilo impotens possit diruere. *Φάει δὲ πρόσωπον ἐν καθαρῷ πατρὶ τεῷ, Θρασύβουλε, κοινάν τε γενεᾷ λόγοισι θνατῶν εὔδοξον ἅρματι νίκαν Κρισαίαισιν ἐν πτυχαῖς ἀπαγγελεῖ.* Post quae haec verba ad Thrasybulum conversa leguntur: *σύ τοι*

σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρὸς ὀρθὰν ἄγεις ἐφημοσύναν, τά ποτε cet. In quo loco erubescere mihi Philologia paullulum nostra videtur, haesitans in vocula *νιν*. Patrem dicunt, victoriam alii, alii thesaurum. Argumenta addunt unusquisque copiosa. Quid igitur? Graeci intelligebant. . . Quoniam singulorum verborum vero intellectu omnis ubique halucinandi hucque et illuc animum convertendi occasio resecatur. Ἐπιδέξια χειρὸς trita graecorum dictio est dicens: rechter Hand. Dein verba *ὀρθὰν ἄγεις ἐφημοσύναν* non significant: rectum vel probum vel optimum sequeris vel exsequeris praeceptum, neque effectum reddis praeceptum vel in te probas. Nam *ἄγειν ἐφημοσύνην* dictio per se est nulla, sed per imaginem dicta. Itaque *ὀρθὴν ἄγειν ἐφημοσύνην* significat: den Rath grade führen. Quae imago expletur verbis: *σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρός*, haltend ihn zur rechten Hand. Ergo *νιν* est *ἐφημοσύνη*. Quanquam vocem suam praecedit.

In Nem. VI v. 30 legitur: *παροιχομένων γὰρ ἀνέρων ἀοιδοὶ καὶ λόγοι τὰ καλά σφιν ἔργ' ἐκόμισαν, Βασσίδαισιν ἅτ' οὐ σπανίζει.* Quod ita vertunt: praeteritorum enim virorum pulcra facta poetae et historiae iis (h. e. genti) foverunt, Bassidis quae multa sunt. Quae mihi non versio horum verborum esse videtur, sed perversio. Unum moneo de multis. Si quis dicit: *ἀοιδοὶ τὰ καλά σφιν ἔργ'*

ἐκόμισαν, necesse est ut σφὶν commune sit τῷ τὰ καλὰ ἔργα et τῷ ἐκόμισαν, neque locus est alius cuius opera dicantur cuiuspiam. Οἱ παροιχόμενοι ἄνδρες sunt, quos verba dicunt, homines priores h. e. tempus praeteritum, ac pendent e verbis, quae sequuntur: ἀοιδοὶ καὶ λόγοι. Quae ipsa sic demum sana sunt ita et coniuncta et collocata.

Denique vide Nem. III v. 12. Ἄρχε δ' οὐρανοῦ πολυνεφέλα κρέοντι, θύγατερ, δόκιμον ὕμνον· ἐγὼ δὲ κείνων τέ μιν ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι· χαρίεντα δ' ἕξει πόνον χώρας ἄγαλμα, Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι ᾤκησαν cet. Quorum verborum subiectum si quaeris in commentariis, πολλὴν reperies ἀφθονίαν. Χώρας ἄγαλμα dicunt, Aeginam, Aristoclidem, chorum, hymnum, Iovem. In qua sententiarum copia ac fluctuatione mihi hoc maxime mirum est, quod ne fortuito quidem quisquam verum attigit. Subiectum verbi ἕξει est λύρα. Quod potuit latere, quicunque verba illa aliter audiret, quam a poeta per rhythmos pronunciantur. Qui vocem κείνων cum duplici sua percussione metrica recte cogitabat, fortius etiam voces λύρᾳ τε pronunciabat neque subiectum verbi ἕξει, quod dixi, non audiebat.

Itaque quaecunque huius generis in commentariis Pindari restare videbantur interpretationis vitia in hunc libellum coniiciens argumenta apposui aut nulla, ubi satis videretur sententiam dixisse, aut

ex ipsis verbis eorumque necessitate, ad quam in universum provoco, petita. In linguae graecae peritioribus iudicium. Qui amice accipere hominem novum velint, si quid vere addiderit vel correxerit. Valete. In versibus carminum indicandis editionem secutus sum Boeckhianam anni MDCCCXXV.

Olymp. I.

In ipso carminis initio structura verborum: ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ. ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου non indicata est. Unus iungebat: ὁ χρυσὸς διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος πλούτου. Reliqui omnes: ὁ χρυσὸς διαπρέπει μεγάνορος ἔξοχα πλούτου, ἅτε νυκτὶ διαπρέπει αἰθόμενον πῦρ· ita, ut διαπρέπει bis cogitetur. Quod quomodo quisquam sibi persuaserit non intelligo. Structura necessario haec est: ὁ χρυσὸς, ἅτε αἰθόμενον πῦρ, διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. Commiscetur comparans cum comparato copiose. Quod declinare quacunque machina interpretes iniuria studebant.

In v. 57 κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον, ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον duplex dativus nondum expeditus est. Neque enim iungendum est οἱ πατήρ cum Pauwio, Hermanno, Boeckhio, al., quod recte Dissenius damnavit his verbis: »ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε dum lego, pronomen iungo necessario cum verbo«, neque ipse Dissenius rationem rei perspexit. Quae sic se habet. In verbis illis has duas senties sententias: Ζεὺς Ταντάλῳ ἄταν ὑπερκρέμασε, Ζεὺς Ταντάλῳ λίθον ὑπερκρέμασε. In utraque sententia verbum ὑπερκρέμασε, in utraque dativus Tantali. Iam has

sententias ita coniunxeris: *ἂν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασεν ὑπερκρεμάσας κάρτερον αὐτῷ λίθον*. Pindarus vero ita vi sua et elegantia in unam contraxit, ut verbum *ὑπερκρέμασε*, quod in altera sententia per metaphoram de *ἄτᾳ*, in altera de lapide revera pendente dicitur, in medio poneret utrique membro commune. Dativi manebant in suo uterque membro aeque iusti ac necessarii.

In versu autem sexagesimo, ubi de eodem Tantalo legitur: *ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον*, ultimorum verborum sensum se non perspicere interpretes ipsi, opinor, sentiebant omnes. Aliis Pindarus videbatur quartum dicere laborem praeter famem, sitim, lassitudinem; aliis ipsum Tantalum quartum cum Tityo, Sisypho, Ixione; aliis continuum laborem, quartum post tertium sine ulla intermissione etc. Primum cogita: *μετὰ τριῶν (πόνων) τέταρτον πόνον*. Deinde in memoriam tibi voca, quae Pindarus *credebat* de vita hominum futura. Exposuit ipse luculenter in olympico carmine secundo et alibi. Atque, *ὅσοι μὲν ἐτόλμασαν ἐστρὶς ἑκατέρωθι μείναντες ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν*, vitam vivent felicem in aeternum. Tantalus vero, facinore scelestissimo commisso, vitam illam aeternam aerumnosissimam habet: *quartum laborem* (iam poterat dici »post tres«, sed cum tres illas vitas iam vixisset, etiam) *cum tribus*. Hoc Pindarus dicit verbis: *ἔχει βίον τοῦτον — μετὰ τριῶν τέταρτον πόνον*. Pulcre. Nam hoc nunc dicit: iam hic est finis totius vitae laborumque Tantalo! Cui, ut Plato

scripsit, ἔτι ζῶντι δυστυχήματα ἐγένετο πολλὰ καὶ δεινά, ὧν καὶ τέλος ἡ πατρὶς αὐτοῦ ὅλη ἀνετράπετο, καὶ τελευτήσαντι ἐν Ἅιδου ἡ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ λίθου ταντaλεία θαυμαστῶς ὡς ξύμφωνος τῷ ὀνόματι. — Quod in ipsis verbis facile, nisi fallor, erat dispicere. Nam ad τριῶν debemus intelligere πόνων, πόνον autem appositio est vocis βίον τοῦτον; itaque vox τριῶν de vitis dicta.

Praeterea non supervacaneum videtur sensum versus 81 ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει, θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα etc. post interpretes, quos vidi, denuo exponere. Nam, quantum ex verbis ipsorum argumentari licet, non intelligebant. Sin minus, indictum volo. Boeckhius adscripsit: »imbellis sese nunquam in magnum discrimen dat; ego vero talis non ero: quis enim »inglorius delituerit, cum tamen mori omnibus fa»tale sit?« Dissenius: »scio fortitudine et audacia »opus esse in hac re; magnum periculum imbellem »virum non recipit, admittit, sed cum semel ami»serim immortalitatem, quid prodest vita nisi nobili »facto illustrata.« Pelops hoc dicit: magnum (h. e. mortis) periculum imbellem (h. e. nunc is, qui ex ignavia periculo sese non tradit) non capit. Quibus dicit: *possum* certamen relinquere tutusque ero periculi ac mortis, si imbellis esse malo; quibus vero necessarium est mori, τί κέ τις etc.

Olymp. II.

Duo nunc tangam. Restant plura alio loco commodius explicanda. Primum vv. 53 seqq. sensus

hic est: ὁ πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος summum homini bonum est, si quidem quis eum habens *virtute utitur* (quae praecedunt ἀρεταί alius sunt generis). Quod sic dictum est: si quis eum habens novit mala poenis affectum iri, bona praemiis h. e. si quis hoc mente bene tenens ita vivit. Iam haec cum graviter a poeta cogitentur ita adduntur: εἰ δέ μιν ἔχων τις οἶδεν τὸ μέλλον, ὅτι etc.; ut si quis diceret, quod vero nemo eloquitur: non semper, verum si cet. Haec mihi addenda Boeckhianae (in commentariis) disputationi videbantur. Necessaria enim et egregia in hoc loco vocula δέ, *in qua ipsa* poeta coepit βέλεα illa contra adversarios graviter emittere Theronique dulce solatium canere.

Dein in fine carminis verba: ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν etc. omnes, nisi fallor, de eo intelligebant, quod Theroni acciderit. Sed Pindarus Theronem modo laudavit summa laude. Nunc addit: ἀλλ' αἶνον ἔβα κόρος. Ἔβα est aoristus sententiae generalis, ac sententia, quam Pindarus interposuit, haec est: sed laudem fastidium sequi solet. Quibus verbis poeta laudem modo emissam abrumpit. Verum satis, inquit, αἶνον ἔβα κόρος. Iam nunc in descriptione invidiae ad res praesentes respicit non sine ira ac studio: οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν etc. Plurimi hic de praestantia sive de laudibus Theronis aliquid legebant; nonnulli de aliis qui nimium laudaverint hominibus. Qui omnes, postquam narrationes graecorum interpretum magis secuti erant, quam perpetuitatem loci, admoneri

de errore poterant verbis ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις, quae non nisi in sententia generali dici potuerunt. Ergo κόρος non dictum erat de fastidio, quod in Theronem ceciderit.

Olymp. III.

In verbis v. 36 τοῖς γὰρ ἐπέτραπεν Οὐλυμπόνδ' ἰὼν θαητὸν ἀγῶνα νέμειν *poeta* lectoribus fraudem fecit. Qui plenius ita dixisset: hi enim erant, quibus traditurus erat certamen olympicum. Quae Pindarus *narrando* praegressis addidit, non solum non dicens: hi enim erant, quibus postea tradidit, sed brevissime sic: his enim tradidit. Cuius dictionis vi non intellecta interpretes, regressi ad versum praecedentem, verba ταύταν ἑορτάν de Agrigentino Dioscurorum festo intelligere se debere putabant. Quae necessario de Olympia dicta sunt. Hinc ἵλαος.

Praeterea sub exitum carminis in verbis νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θήρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων ἅπτεται οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν iniuria inde a graecis scholiis omnes vocem οἴκοθεν subripiunt ex imagine, cui necessario implicita est. Anxietate quadam, opinor, maxime ducti immerita. Vitiosum mihi in hoc loco videtur, vocem οἴκοθεν de insitis genti vel Theroni virtutibus accipere. Verum, cum copia felicitatis in imagine longinquitate viae, quousque gloria eius tendat, describatur, iam nunc initium viae tanquam mensura illius additur. Hoc est: ἅπτεται οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν. Eodem modo eadem verba accipienda sunt de Cleonymidis in Isthm. III v. 30 ἀνορέαις δ' ἐσχάταισιν οἴκοθεν στάλαισιν

ἄπτονϑ' Ἡρακλείαις, ubi unus scholiastarum verum videbat.

Olymp. IV.

V. 10. *Ψαύμιος γὰρ ἵκει ὀχέων.* Veteres interpretes fere: »*ἵκει γὰρ ἐπὶ Ψαύμιος ὀχέων*, Psaumidis enim curru vehitur.« Nisi quod Pauwius scripsit: »*ὀχέων* vel *κῶμος* vel *φάος*.« Dein Hermannus: »mira et incredibilia commenti sunt interpretes, ut genitivum *ὀχέων* explicarent. Nihil opus »his machinis. Hoc dicit: *ἵκει ὁ κῶμος, Ψαύμιος* »*ὀχέων κῶμος ὤν*.« Quem Boeckhius et Dissenius secuti sunt. Male. Nam Pindarus, ut dicat, *ὅϑεν ὁ κῶμος* veniat, *Ψαύμιος γὰρ*, inquit, *ἵκει ὀχέων* h. e. a *Psaumidis* enim curru venit (originem habet), *qui victor olympicus* etc.

Olymp. V.

V. 5. *βωμοὺς ἓξ διδύμους ἐγέραρεν ἑορταῖς ϑεῶν μεγίσταις ὑπὸ βουϑυσίαις ἀέϑλων τε πεμπταμέροις ἁμίλλαις, ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε.* Corrigendae interpretum ad hunc locum disputationes sunt ita. Psaumis sacrificavit et ante certaminum initium die sacrificiorum et *per dies certaminum, cum certabatur equis, mulabus, celete.*

Olymp. VI.

V. 4. *εἰ δ' εἴη μὲν* etc. Faciunt commentarii, ut moneam, subiectum vocis *εἴη* non esse *τίς*. Cogitandum a nobis non »jemand«, sed distincte »er« h. e. non Agesias, sed *ἀνήρ*. Cf. Nem. IX, 46. Singulare in hoc loco, quod non solum sententia con-

ditionalis in enunciatione primaria nititur, sed etiam haec ipsa in illa per vocem *κεῖνος*, qua comprehenduntur, quae in sententia conditionali dicta sunt.

Sed haec leviora. Ad v. 27 *χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν αὐταῖς* mira interpretes adnotarunt. Quae, licet in optimam partem velim accipere, tamen confiteor aut non intelligere aut mens legentium non satis libera fuit ad mentem poetae percipiendam. Nam v. c. Schmidius: »decet illas »in amplissimum laudum et hymnorum campum »immittere.« Heynius: »propter id ipsum laudis »aditus debetur ipsis in carmine.« Boeckhius: »his »igitur mulabus debemus carminis portas aperire »Olympiae victricibus, ut iis in carmine admissis »vehamur.« Tafelius: »cum victrices sint, dignae »videntur, quibus iam aperiantur carminum portae »i. e. quae in fronte laudis Iamidarum memorentur, »ipsae nimirum illius ansam praebentes.« Dissenius: »quare par est, ut intrent in poesin h. e. ut »ad usum poetae adhibeantur tanquam animalia »poetica.« Nonne auditis, quaeso, omnes, Pindarum, postquam Phinti acclamavit, ut mulas iungeret, nam ad genus quoque praeclarum victoris vehendum esse, nonne, inquam, auditis, poetam nunc iubere, ut mulis iunctis iamiam portae hymnorum aperiantur, per quas ad urbem Pitanam pervehantur et ad omnem gentis Iamidarum laudem atque celebrationem? Vos vocem *τοίνυν* ad proxime praecedentia referre videmini, ut Pindarus denuo dicat, quod iam dixit verbis *κεῖναι γὰρ* etc. Imo, ut ita dicam, Phintis inter verba praecedentia mulas ex

iussu poetae iunxit. Quibus factis poeta: *ἄγε δή*, inquit, portas hymnorum aperite illis. *Τοίνυν* refertur ad id, quod poeta vult ut fiat.

Olymp. VII.

V. 53. *δαέντι δὲ καὶ σοφία μείζων ἄδολος τελέθει.* Boeckhius: »aut coniunges: *δαέντι δὲ καὶ* »*μείζων οὖσα σοφία τελέθει ἄδολος*; aut *δαέντι δὲ* »*καὶ σοφία μείζων ἐστὶν, ἄδολος οὖσα.* In priori »structura sensus hic est: doctus et exercitatus »in aliqua arte etiamsi maiorem habet pruden»tiam, tamen sine fraude eam habere potest, nec »debet praestigiator videri: disciplina enim et exer»citatione artem didicit; in altera vero hic: docti et »exercitati maior sapientia est, si sine fraude est. Prae»fero priorem ut simpliciorem.« Verum hanc Pindarus ita dixisset: *δαέντι δὲ καὶ σοφία μείζων ἄδολος.* Neque enim, si Pindarus dicit *ἄδολος τελέθει*, vox *ἄδολος* adverbii vicem obtinet, ut significet *ἄνευ δόλων*, sed praedicati. Dissenius: »ars, peritia ar»tis, quae fraude abstinet, potior est, praefertur.« Welckerus in mus. Rhenan. Philol. II, 3 p. 382: »*δαέντι δὲ καὶ μείζων οὖσα σοφία τελέθει ἄδολος* »— doch möchte *δαέντι* nicht auf den Künstler, »sondern auf den Urtheilenden, den Sachkundigen »gehen: nur dem Unkundigen ist grosse Kunst Zau»berei.« Structura verborum eleganter dictorum haec est: *δαέντι δὲ καὶ ἄδολος σοφία μείζων τελέθει.* Vox *ἄδολος* quo magis differtur, eo magis extollitur. Sensus hic: perito etiam sine dolis ars eximia fit.

Olymp. VIIII.

V. 50. *ἀποπέμπων Αἰακὸν δεῦρ' ἀν' ἵπποις χρυσέαις.* In voce *δεῦρο* Aeginam intelligimus omnes. Sed explicandum est, quomodo hoc fiat. De qua re Boeckhius: »Graeci *δεῦρο* etiam de eo loco di»cunt, de quo sermo sit, etsi qui loquitur, alio sit »loco. Sic in Platonis Phaedone, qui tamen Phliunte »peroratur, de navi Deliaca dicitur *πρὶν ἂν εἰς Δῆ»λόν τε ἀφίκηται τὸ πλοῖον καὶ πάλιν δεῦρο*, Athe»nas.« Quae verba, ut verum dicam, abhorrent a veritate. Res ita se habet. *Δεῦρο* significat *huc*, nihil aliud; nusquam v. c. illuc, ut nulla omnino vox simplex duplici unquam utitur significatione. At vero, inquis, apud Platonem dicitur a Phaedone, Phliunte versante, *δεῦρο* de Athenis; neque enim Plato, Athenis fortasse scribens, negligenter hanc vocem emisisse censendus. . . Non dicitur de Athenis, sed de Graecia. Naturae autem conveniens est, ut graecus in *ἠπείρῳ* sua versans de re aliunde, licet ab insula quadam graeca propinquaque adveniente, dicat: *δεῦρο* venit. Deinde poesi conveniens est, ut poeta de loco, in quo, Musarum curru vectus, versatur, *δεῦρο* dicat. Cf. Nem. IX, 35.

Olymp. IX.

In versu octavo laedunt poesin interpretes inde a scholiis graecis vocem *τοιοῖςδε* interpretati: qualia haec sunt, non quale fuit Archilochi carmen, hisce talibus, maioribus cet. Dicendum erat: *τοιοῖςδε*, talibus h. e. laudatoriis.

Olymp. X.

V. 7. ἀφθόνητος δ' αἶνος Ὀλυμπιονίκαις οὗτος ἄγκειται. Qui in hoc loco ἀφθόνητος accipiunt »invidia maior«, non video quomodo unquam vel ἄφθονος et ἀφθονία de copia intelligant. Pindaro sonantius loqui gestienti tales emergunt formae, ut eadem vox ἀφθόνητος pro vulgari ἄφθονος in Olymp. XIII, v. 25 de invidia, vel ἀπείρατος pro ἄπειρος. In simili μεγαλοφωνίᾳ nititur vox pulcra ἀτόλματος in Isthm. VII, 11. Haec obiter. In v. 10 sententiam omnino interpretes non concoxisse videntur. Hoc dicit: ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐςαεὶ πραπίδεσσιν h. e. canam, si *dii volent*, *ex quibus* homo sapienti floret semper ingenio. Itaque religiosum poetae additamentum est dicentis: ἐν θεῷ γε μὰν τέλος vel: spero autem, deum, in quo uno omnis sapientum res nititur, conservare mihi ingenii vires ad promissum hoc digne perficiendum. — Quod interpretes intelligebant v. c. Boeckhius: divinitus *enim* vir sapientibus semper floret praecordiis, vel Dissenius: a deo enim adiutus nunquam caret inventionis sollertia, sed floret semper sapienti ingenio, ut fidenter tale carmen in se recipere et promittere possit — haec non nisi singulis verbis aliter collocatis dici potuerunt. Fefellit vox ἐςαεί, quae in illorum sententia extollenda erat, in Pindarica subrepit, quia de futuro tempore aliquid promittitur.

Olymp. XI.

V. 22. ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες, ἔργων πρὸ πάντων βιότῳ φάος. Mira ad haec verba

adnotant. V. c. Hermannus: »pauci quidam sine »labore eam adepti sunt gloriam, quae prae qui»busvis praeclare factis vitam reddere iucundam »posset, ita ut, qui ea frueretur, ne opus quidem »haberet ulla exercitatione virium et contentione.« Quibus laudatis Boeckhius addit: »qui vero pauci illi »sint, qui sine labore talem gloriam adepti fuerint, »ut illa prae quibusvis praeclare factis vitam illu»stret, nescio. An sunt qui sine pulvere vincunt, »quod ita iam clari et metuendi sunt, ut nemo »cum illis in certamen descendere audeat? An reges »sunt ad imperium nati? Immo illi videntur esse, quos »natura ita instruxit, uti maxima quaeque sine labore »et quasi ludibundi peragant: quibus sane beneficium »contigit ipsis praeclaris facinoribus maius, quae »non sine labore solent perfici: nam maxima sine la»bore consequuntur, prorsus ut dii summam felicitatem »ipsis magnis facinoribus maiorem consecuti sunt.« Scilicet primum appositio illa ἔργων πρὸ πάντων βιότῳ φάος non addita est verbis ἄπονον χάρμα, sed tantum voci χάρμα. Dein χάρμα in hoc sententiarum nexu de gaudio victoriae dictum est. Denique, ubi tale gaudium existit, ἔργον factum est scil. certamen; hinc dicitur ἔργων πρὸ πάντων βιότῳ φάος, quod plenius dixeris: quo non maius ex ullo hominibus existit opere lumen. Itaque Pindarus Agesidamo, non sine laboribus victori, hanc sententiam cecinit: sine labore vix ullus victoriae gaudium adipiscitur, quo non maius ex ullo hominibus existit opere. Quibus illi una dicit: operae pretium esse, pro tanto bono labores etiam gravissimos laborasse.

Ad verss. 36—38 οὐ πολλὸν ἴδε πατρίδα πολυκτέανον ὑπὸ στερεῷ πυρὶ πλαγαῖς τε σιδάρου βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄτας ἵζοισαν ἑὰν πόλιν non vidi qui adnotaverit, cohaerere πατρίδα . . . πόλιν.

Praeterea in verss. 41. 42. verba καὶ κεῖνος ἀβουλίᾳ ὕστατος ἁλώσιος ἀντάσαις θάνατον αἰπὺν οὐκ ἐξέφυγεν post Tafelium denuo liceat interpretari. Ἀβουλία non consilii inopiam significat neque temeritatem, qua nunc Augeas quicquam fecerit, sed in universum stultitiam eius, ex qua improbus fuit fortiorisque sibi iram movit atque certamen. Ὕστατος est, quod prosa oratio dicit τέλος, τελευτῶν, neque de huius obsidionis tempore dictum est, sed de fortuna Augeae in universum. Dein coniungendum: ἁλώσιος ἀντάσαις, quod Pindarica μεγαλοφωνίᾳ dictum est pro ἁλούς; ita tamen, ut hoc fere dicatur: hoc fuit, quod imprudentia tandem assecutus est sua! Itaque totius loci sententia haec: contentionem fortiorum amoliri difficile. et ille imprudentia sua postremo captus et necatus est.

Olymp. XII.

In v. 14 εἰ μὴ στάσις ἀντιάνειρα Κνωσίας ἄμερσε πάτρας Iacobsius coniecit Κνωσίας σ' ἄμερσε πάτρας. Cui editores neque obsecuti sunt neque responderunt. Obiectum in hoc loco omitti potest, ut in codicibus omissum est, quia non opus est ut cogitetur. Cogitatur: nisi seditio Cnosia privasset patria. Ut cogitari etiam ac dici potuit: nisi domicilium mutatum esset, vel: nisi Cnosia patria relicta esset cet. sine voce tibi vel a te. Idque Pindari-

cum. Qui vero pronomen, dum legunt hunc versum, supplent cogitando, iidem scribendo debent.

Olymp. XIII.

V. 40. *ἐν δ' ἀμφιάλοισι Ποτειδᾶνος τεθμοῖσιν Πτοιοδώρῳ σὺν πάτρι μακρότεραι Τερψίᾳ θ' ἕποντ' Ἐριτίμῳ τ' ἀοιδαί.* Poeta a Xenophonte incipiens primum ad patrem eius Thessalum, dein ad Thessali patrem aliosque aetate remotiores, transitu nunc per locum certaminum facto, ascendens breviter totius gentis cumulat victorias. De qua nunc in universum: *ἀριστεύσατε.* Structura necessario: *ἀοιδαὶ ἕπονται σὺν πατρὶ Πτοιοδώρῳ καὶ Τερψίᾳ καὶ Ἐριτίμῳ*, quod Tafelius videbat. *Ἀοιδαὶ* dicuntur *μακρότεραι* propter multitudinem victoriarum, *μακρότεραι ἢ ὡς ἀείδειν.* Hoc addo, quare reliquae explicationes hic prolatae falsae sint. Quae comprehenduntur hac Boeckhii adnotatione: »structura »non potest haec esse: *ἕσποντ' ἀοιδαὶ* (*αὐτῷ, τῷ* »*Θεσσάλῳ*) *σὺν Πτοιοδώρῳ πατρὶ σύν τε Τερψίᾳ καὶ* »*Ἐριτίμῳ*, sed tantum haec: *ἕσποντ' ἀοιδαὶ Τερψίᾳ* »*τε Ἐριτίμῳ τὲ σὺν Πτοιοδώρῳ.*« In priore desideratur *αὐτῷ.* Quod alteram attinet, fatendum est loqui ita interdum homines, velut Tafelium, qui in commentario paullum ante hunc locum scripsit: duplex negatio cum Hermanno me non offendit. De Pindaro similia negare licebit.

V. 47. *ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον, νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.* Vix dubito, intellexisse semel omnes, quomodo haec verba dicta sint. Sed, quae adnotarunt alter alterum secutus, paullo turbidius cogi-

tata sunt. Nam v. c. Heynius: »pro *ἄριστον δέ ἐστι,* »*νοῆσαι τὸν καιρόν.*« Boeckhius: »hoc est *ἄριστόν* »*ἐστι νοῆσαι καιρόν*: ut graeci dicunt *δίκαιος, δυ*»*νατός, ἀδύνατος, ἀναγκαῖός εἰμι τοῦτο ποιῆσαι*« Idem vertit: »opportunitatem vero intelligere opti»mum.« Dissenius: »opportunum et convenientem »modum nosse optimum.« Primum exempla illa, quae scribunt, apta essent, si hic *νοῆσαι καιρὸς ἄριστος* dictum esset pro *τῷ καιρῷ ἄριστόν ἐστι νοῆσαι* vel *ἄριστόν ἐστι τὸν καιρὸν* (subiectum) *νοῆσαι.* Deinde omnino, quod illi volunt, non cogitatur. Obiectum verbi *νοῆσαι* est *τὸ ἐν ἑκάστῳ μέτρον.* Si quid addere de dictione volebant, verius hoc erat: graecos non solum dicere *εὔκαιρόν ἐστι ποιεῖν τι,* sed etiam *καιρός ἐστι ποιεῖν τι,* quod nunc eleganter in superlativo gradu audiat: *καιρὸς ἄριστος.* Addere poterant, Pindarum elegantius etiam ipsum illud *τί,* quod opportune fiat, *τὸν καιρὸν* appellare. Cuius dictionis exemplum poterant afferre e Pyth. I v. 81 *καιρὸν εἰ φθέγξαιο,* nisi hoc intelligerent ut dictum pro *κατὰ καιρόν.* Quod Tafelius correxit. Τὸ *κατὰ καιρὸν λεγόμενον,* id ipsum poeta *καιρὸν* vocat etc.

In proxime sequentibus: *ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλείς* usque ad *προπόλοις* structuram verborum non capi miror, sed video et interpunctione omnium librorum et adnotationibus interpretum. Res ita se habet necessario. Primum verba *μῆτίν τε γαρύων παλαιγόνων πόλεμόν τ' ἐν ἡρωΐαις ἀρεταῖσιν* ipsas nondum continent laudes, sed indicant tantum, de quibus rebus Corinthum laudaturus sit poeta. Iam nunc, quod desiderant omnes ad verba

Σίσυφον μὲν etc., prorsus illicite tamen cogitando addi, quod fieri nequit, iubent, *τὸ γαρύων* dico, hoc inest in voce *ψεύσομαι*, cuius verbi *Σίσυφον* et quae sequuntur directi accusativi sunt. Pro *οὐ ψεύδομαι λέγων τινά τι* lyrica brevitas ac superbia dicit *οὐ ψεύδομαί τινά τι*, h. e. *οὐ ψευδῶς λέγω τινά τι.* Sic pro *οὐ ψεύδομαι Δία λέγων ὕπατον θεῶν* dici potest: *οὐ ψεύδομαι Δία ὕπατον θεῶν.* In hoc loco vel additum est *ἀμφὶ Κορίνθῳ*, ut si dixeris: *οὐ ψεύδομαι ἀμφὶ οὐρανίων γένει Δία ὕπατον θεῶν.* Itaque Pindarus sic cogitavit: *ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλείς, μῆτίν τε γαρύων παλαιγόνων πόλεμόν τ' ἐν ἡρωΐαις ἀρεταῖσιν, οὐ ψεύσομαι ἀμφὶ Κορίνθῳ: Σίσυφον μὲν* (nunc praedicatum sequitur) *πυκνότατον παλάμαις ὡς θεόν, καὶ τὰν Μήδειαν* (nunc praedicatum) *ναΐ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις.* Delenda igitur commata illa, quae accusativos disiungunt a verbo suo, praedicata a subiectis. — Quae cum scribo, ne Heynii adnotationem dissimulare videar, qui scripsit: *γαρύων οὐ ψεύσομαι* h. e. *ψευδῆ γηρύσω. Σίσυφον* sc. *γεγονέναι* et *τὴν Μήδειαν γεγονέναι σώτειραν* — verius ille *τὸ γεγονέναι* omittebat proque *ψευδῆ γηρύσω* scribebat: *ψευδῶς γηρύσω.*

Denique in fine carminis in v. 114. 115 verba editionis Boeckhianae mihi non sana sunt. Nam *et subiectum* mihi deest (quare non possum Oligaethidas cogitare, sed nihil nisi hoc: fac enatemus (h. e. homines in universum), da nobis etc. Quod, etsi Oligaethidas non excludit, nunc non aptum videtur) *et copula*, ita ut mihi audienti infinitivus *ἐκνεῦσαι* necessario pendeat e verbo, quod sequitur,

δίδοι. Itaque, si *δίδοι* tenetur, legendum certe: *κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσίν, Ζεῦ τέλει', αἰδῶ δίδοι καὶ τύχαν τερπνῶν γλυκεῖαν.*

Olymp. XIV.

In v. 15 bene legitur *ἐπάκοοι τανῦν* h. e. *ἐπάκοοι τανῦν ἔστε.* Quod vividius dictum est enixiusque, atque: exaudite. Quod intelliget, qui primum *τὸ γίγνεσθε* e mente depulerit, dein cogitaverit de voce *εἶναι,* quae sileri potest, vel dicta vel omissa. Nam interest aliquid, utrum dicatur illa necne.

Pyth. I.

Versus quadragesimus, quod miror, omnino non intelligitur. Ut breviter dicam: Pindarus ἐθελήσαις, inquit, ταῦτα νόῳ τιθέμεν εὔανδρόν τε χώραν. In quibus verba ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν, Apollini dicta, significant: fac ut haec fiant. Itaque in priore membro cogitatur: fac ut urbs fiat στεφάνοισιν ἵπποις τε κλυτὰ καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις ὀνομάστα, in altero, fac ut fiat εὔανδρος. Nam εὔανδρον praedicatum est verbi τιθέμεν, quod commune utrique membro. Quod plurimi longe fugisse videntur. Etsi, quam facile et eleganter vox τιθέμεν ad alterum quoque, a voce νόῳ nunc separata, transeat membrum, non difficile erat e rhythmis auscultare.

In v. 71 seqq. interpretes vocem ὕβριν videntur neglexisse non indignam intellectu. Nam dicta est brevitate elegantissima. Alii *cladem* tacentes substituunt, alii inconsiderate agentes *contumeliam.* Phoenices Tyrrhenosque ut hostes advenientes contraque Siculos pugnantes apud Cumas, hoc Pindarus, ex sua mente, appellat (non pugnam apud Cumas, sed) ὕβριν τὰν πρὸ Κύμας, cumque in perniciem illis abiisset: ναυσίστονον ὕβριν τὰν πρὸ Κύμας. Itaque quiescant, inquit, illi, ὕβριν ad Cumas suam in perniciem versam qui viderint. Ne

aliud dicere videar, quam quod cogito: non dico, *ναυσίστονον* praedicatum esse.

De versibus proxime sequentibus, 75—79, multas vidi explicationes, quarum nullam probo. Ego non possum quin sic intelligam: *ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν μισθόν* (der Athener Gefallen als Lohn), *ἐν Σπάρτᾳ δὲ* (*ἀρέομαι χάριν*) *ἐρέων πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν, παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα* (*ἀρέομαι χάριν*) *παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένευς τελέσαις.* Sed non video, quomodo dicere quisquam possit *ἀρέομαι ἐρέων.* Tenendum *ἐρέω*: structura et sensu totius loci eodem; nisi quod ad *ἐρέω τὸ χάριν ἀρέομαι* alio nunc ac liberiore modo additur. Sic: *ἀρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν* (eadem conditione h. e. *χάριν τε ἀρέομαι*), *παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα* (*ἀρέομαι χάριν*) *παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένευς τελέσαις.*

V. 84. *ἀστῶν δ' ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.* Haec verba, si verum dicere licet, non explicata ab interpretibus sunt, sed cruciata miserabiliter. Ac video omnino ita agi in locis, in quibus offendimus propter obscuritatem dictionis, ut primum verborum quem habent ordinem, quos habent rhythmos, solvamus; deinde, anima sic sententiae quasi dissipata, singula membra circumeamus et circumspiciamus et animam illis ex nostra mente conemur immittere qualicunque modo qualemcunque. Recurrendum certe, quidquid instituere propter linguae imperitiam coacti fuerimus, ad ipsam verborum, qua poeta usus est,

pronunciationem. Quam in animum nostrum legentes imprimere, sicut in ceram, continenter debemus sensusque ita necessitatem persentire. Quod nisi fiat, non legimus, sed coniectamus. Atque in nostro loco lyrica dictio non intellecta est. Ἀκοή vox est abstracta et lata, cuius sensus reliquo loci, in quo dicitur, sensu definitur ac restringitur. In universum modo passive audit, si quid auditum est vel auditur, ut si vulgo dicitur *ἐξ ἀκοῆς λέγειν*, *ἀκοὴν μαρτυρεῖν* vel a poeta *ἀκοὰν ἀδεῖαν κλύειν* et *βαιὰ ἐν μακροῖσι ποικίλλειν*, *ἀκοὰ σοφοῖς*; modo active de audiendo, ut Orestes Sophocleus *ὀξεῖαν ἀκοὴν τοῖς ἐμοῖς λόγοις διδούς*, et omnes de sensu audiendi *ὄψις καὶ ἀκοή*, de quo Plato dicit: *ἄλλο μὲν ἀκοή, ἄλλο δὲ τὰ ἀκουόμενα.* Nunc cum genitivo *ἀστῶν* dicta significat nil nisi actum audiendi. Poterat dici: *ἀστῶν ἀκοὰν μάλιστα βαρύνει ἐσλὰ ἀλλότρια.* Nunc poeta vel altiore dictione usus *ἀστῶν ἀκοά*, inquit, *θυμὸν βαρύνει μάλιστ' ἐσλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.* Quae si aliis verbis dicenda, quod vix potest, mihi erunt, dicam: *ἀστοὶ ἀκούοντες κρύφιον θυμὸν βαρύνουσι μάλιστ' ἐσθλοῖσιν ἐπ' ἀλλοτρίοις.*

Pyth. II.

In v. 26 verba *μακρὸν οὐχ ὑπέμεινεν ὄλβον* interpretes vertunt: largam non tulit felicitatem. Quod verba non dicunt. Fefellit vox *ὑπέμεινεν*, nunc de tempore tantum dicta. *Μακρὸς ὄλβος* non largam, sed longam felicitatem significat. Neque tamen *μακρόν* praedicatum est.

V. 30. *αἱ δύο δ' ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέ-*

θοντι. Haec verba paullo celerius legebantur. Intelligunt enim interpretes: haec duo flagitia causa laborum ei fuere vel sunt, quos apud inferos perpetitur. Multum abest. Neque enim video ἐγένοντο vel εἰσίν, quorum alterutrum ad istum sensum necessarium est; neque vero dativum αὐτῷ. Qui suppleri nequit, quia verba sine illo prorsus aliud dicunt. Id, quod intelligendum erat. Αἱ δύο δ' ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέθοντι *sententia generalis* est. In qua exponenda de solo Ixione dicitur. Hinc ἥρως in fronte sequentium, qua voce illi admoneri de errore, postquam errarunt, poterant. Generales autem sententias per totum locum poeta, quas potest, e fabula elicit propter sensum internum. Quod non huius loci est exponere. Unum addo: ubi poeta descendit ad Ixionem, in v. 36., omnem lectionem falsam esse, in qua non legitur καὶ τὸν h. e. καὶ τοῦτον.

In v. 54 verbis εἶδον γὰρ ἑκὰς ἐών iniuria omnes immiscent τὸ quamvis, quod Pindarus non cogitavit. Explicationem vocis εἶδον necessariam apposuit simpliciter.

In v. 56 legitur τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον. Qua sententia offensi omnes alius alio modo necessariam verborum coniunctionem invertunt. Quod longum est enarrare. Solus Boeckhius recte stetit illecebris. Interpretationem tamen loci denuo liceat adscribere. Etenim verbis τὸ πλουτεῖν σοφίας ἄριστον in hoc loco non dicitur neque: divitem esse, neque: curare, ut dives sis, optimum esse sapientiae. Sed hoc tantum: in sapientia, si quis

sapiens sit, melius esse curare, ut felix sis, quam conviciis ἐς ἀμαχανίαν te coniicere. Nam ita sensus sententiae generalis perpetuitate huius loci restringitur, ut non universum, quid optimum sit, dicatur, sed ex duobus alterum eligatur: sapientem esse et βαρυλόγοις ἔπεσιν ἐς ἀμαχανίαν se coniicere, ut Archilochus sapiens fecerit, hoc esse minus prudens: τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου, hoc esse optimum. Quae dici, ut transitus fiat ad Hieronis divitias eorumque usum, vident omnes.

V. 65 seqq. βουλαὶ δὲ πρεσβύτεραι ἀκίνδυνον ἐμοὶ ἔπος ποτὶ σὲ πάντα λόγον ἐπαινεῖν παρέχοντι. Ita hic locus a Boeckhio constitutus omnino mihi placet. Sententiam vero prorsus aliam lego. Structuram video hanc: βουλαὶ δὲ πρεσβύτεραι παρέχοντί μοι ἀκίνδυνον ἔπος, ἐπαινεῖν σε ποτὶ πάντα λόγον. Sensum hunc: mens tua sapientior permittit te sine periculo propter omnem rem laudare. Laudat Hieronem primum propter fortitudinem; deinde propter omnem rem, nunc vero sapientiam eius (βουλὰς πρεσβυτέρας) invocans ut custodem ὕβρεως, quae laudem sequi possit. Quae peritissime inventa de Hierone videntur.

V. 67 seqq. Ad hunc locum necesse est cogitationem a nobis inveniri, quae naturali modo et pulcre his verbis dicatur. Qualis post reiectas graecorum interpretum opiniones nondum recuperata est. Nam Hermannus in observationibus de dialecto Pindari: »hoc carmen i. e. ipsa carminis verba, Tyriae mercis modo i. e. navi, tibi mittitur: ipsum vero chori ingressum, carmen hoc Aeolicis fidibus

»canentis, benigne excipias.« Boeckhius: »τὸ Κα»στόρειον nihil aliud est nisi *αὐτὸ τοῦτο τὸ μέλος* »*Καστόρειον ὄν*: neque *μὲν* et *δὲ* oppositionem de»clarat, sed connectendae utrique sententiae inservit, »ita quidem, ut illud *μὲν* et *δὲ* non sola verba *τόδε* »et *τὸ Καστόρειον* afficiat, sed integras sententias: »*πέμπεται μὲν τόδε μέλος ὑπὲρ ἁλὸς, ἄθρησον δὲ* »*τὸ Καστόρειον ἑκών*. Ex qua interpretatione *τὸ* »*Καστόρειον*, quod abesse poterat, accuratioris de»finitionis causa additum censendum est.« Dissenius: »prooemium carminis crediderim Castoreum »dici, bellicum pariter et curulis victoriae laude re»pletum. — Etenim universi loci sensum censeo »hunc esse: Pindarus commendans Hieroni haec, »quae mittit, primum de toto carmine dicit, tum »de introitu specialiter, in quo maxime offendere »debebant chordae aeoliae, ob reliquum carminis »argumentum electae.« Quibus meam addo cogitationem. Pindarus ab Hierone invitatus, ut Syracusas veniret ipsumque carminibus celebraret, nunc quidem, Graecia non relicta, mittit carmen. In cuius fine: *χαῖρε·* inquit, *τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται·* tamen, cum sit carmen in te laudatorium de victoria curuli (*τὸ Καστόρειον δὲ*) ac splendidissima ratione compositum (*ἐν Αἰολίδεσσι χόρδαις*) *ἄθρησον χάριν ἑκτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος*. — Ceterum comparationis cum navi Phoenicia cardo totus versatur in descriptione poetica *τοῦ πέμπεσθαι* ex longinquo.

Quae nunc sequuntur ad finem usque carminis etsi explicationem desiderant suam adhuc singula,

non cadunt tamen in huius libelli institutum. Unum nunc promam, quod maxime in verborum intellectu versari videtur. Ad v. 79 seq. *ἅτε γὰρ εἰνάλιον πόνον ἐχοίσας βαθὺ σκευᾶς ἑτέρας, ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὡς ὑπὲρ ἕρκος, ἅλμας* monent omnes de Pindaro apud Hieronem calumniis obstricto. Verum de Pindaro ne tantum quidem nunc sermo est. *Ἀβάπτιστός εἰμι* egregia illa sententiarum generalium forma est, quae linguae poetae, quoties animus eius maxime commotus est, subrepit. Ut in proxime sequentibus *οὔ οἱ μετέχω θράσεος.* Hoc dicit: Quid vero lucrabuntur illi conviciis suis susurrationibusque, *ubi ille, cui afferuntur, talis est, qualis esse debet?* Vir rectus talibus aures suas tenet occlusas. Quibus iam addit: si tales sumus, non potest *δόλιος ἀστός* quidquam efficere. Nunc culpat adulatores malificos, laudat *τὸν εὐθύγλωσσον ἄνδρα.* Quem postquam in quavis civitatis constitutione praestare dixit, etiam in significandis variis regiminis modis aristocratiam tecte prae ceteris distinxit, iam hoc addit: oportet vero contra regem, quem deus constituit, non pugnare: *χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν, ὅς* etc., quae ad finem usque omnia in commodum Hieronis contra illos dicta sunt, qui regiae Hieronis auctoritati student nocere. Quo admonitionum praecedentium pondera poeta sublevat perite. Sed manum de tabula.

Pyth. III.

V. 9. *δαμεῖσα χρυσέοις τόξοισιν ὑπ' Ἀρτέμιδος εἰς Ἀΐδα δόμον ἐν θαλάμῳ κατέβα.* Quaeritur

de sensu verborum *ἐν θαλάμῳ*. Heynius: »ut femina.« Gurlittus: »ut puerpera.« Dissenius: »ut »mulier, domi.« Boeckhius: »ut mulier domi ex »morbo defuncta.« Significat: morbo; et est poetae splendidissime *εὐφημοῦντος*: *χρυσέοις τόξοισιν ὑπ' Ἀρτέμιδος ἐν θαλάμῳ*.

Pyth. IV.

V. 70. *τίς γὰρ ἀρχὰ δέξατο ναυτιλίας; τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἄλοις;* Multas vidi posterioris quaestionis explicationes, in quibus illud non erat, quod ego in his verbis sentio. Plurimi intelligunt: periculum, quod immineret Iasoni, nisi hanc susciperet expeditionem. Alii: periculum expeditionis fato illi iniunctum. Alii: periculum Peliae imminens, si Iason expeditionem facere recusabat. Sed poeta tanquam mirabundus hic de periculo dicit, quod alibi de illecebris dixeris. Hoc sensu: quodnam, inquit, fuit periculum, quod eos (non deterruit, sed) strictissimis vinculis vinxit?

V. 145. *Μοῖραι δ' ἀφίσταντ', εἴ τις ἔχθρα πέλει ὁμογόνοις, αἰδῶ καλύψαι.* Plurimi iungebant: *εἴ τις ἔχθρα πέλει, αἰδῶ καλύψαι* h. e. *ὥστε αὐτὴν τὴν αἰδῶ καλύψαι*, ut Heynius, Wagnerus, vel *ὥστε αὐτοὺς τὴν αἰδῶ καλύψαι*, ut interpretes graeci, Stephanus, Gurlittus, Boeckhius, Tafelius. Quod non graecum est et recte ab Hermanno damnatum. Inter reliquos ipse Hermannus primum *αἰδῶ καλύψαι* ad sequentia traxit; deinde *αἰδοῖ* coniecit hoc sensu: »non probant Parcae, si quod inter cognatos odium »est, id prae pudore et reverentia celare. Itaque

»aperte loquar.« Portus: *ἀφίσταιντο.* Astius: *ἐφίστανται.* Schmidius: »Parcae prohibent pudorem »tegere i. e. sine pudore et reverentia agere.« Dissenius: »mihi Pindarus dixisse videtur sententiam »longe gravissimam. Parcae secedunt, si qua si»multas intercedit cognatis, ad pudorem suum oc»cultandum.« (Quae sententia neque gravis mihi videtur esse, nam nihil dicit, et miro modo aberrare ab antiquitate.) Quibus aliquis addat: Parcae desinunt pudorem occultare h. e. omnis pudor tollitur. Quod aeque falsum esset, atque omnia, quae descripsi. Pindari sententia multo etiam gravior est. Verba Μοῖραι ἀφίστανται per euphemismum *summam calamitatem* significant, qualis v. c. liberis Oedipi accidit; *αἰδῶ καλύψαι* autem: *ut pudorem laesum* (i. e. laesum per illos pudorem) *occultent.*

V. 186. *μή τινα λειπόμενον τὰν ἀκίνδυνον παρὰ ματρὶ μένειν αἰῶνα πέσσοντ', ἀλλ' ἐπὶ καὶ θανάτῳ φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς ἅλιξιν εὑρέσθαι σὺν ἄλλοις.* In his *τὸ φάρμακον ἀρετᾶς* quo sensu dictum sit non recte significatur. Alii *incitamentum* virtutis intelligunt, alii *lenimen* virtutis i. e. laborum h. e. *gloriam.* Sed *φάρμακον ἀρετᾶς* sunt facta, res gerendae. Deest illis occasio agendi ac virtute sua utendi; qualem nunc habebunt pulcherrimam, itaque *φάρμακον κάλλιστον ἑᾶς ἀρετᾶς.* — Quae hucusque in hoc carmine tetigi, eiusmodi erant, ut verba quidem singula a plerisque intelligerentur, et tamen mens poetae non perspiceretur. Quod mirum est sexcenties nobis per veterum scripta ita accidere etiam in simplicissimis. En mentem nostram

in lingua externa non satis liberam sed nebulis continenter multifariis obvolutam. Ceterum talia intelligi saepius puto, quam exponi. Est enim, ubi verum inter deliberandum, inter scribendum *ὑποκλέπτηται*; ut, quae ipsi recte senserimus, cogitare, tenere, scribere non potuerimus. — Quod in meam simul dictum volo gratiam. —

Eodem quo praegressa modo se habent in v. 256 verba *ἆμαρ ἢ νύκτες*. Quae sic accipienda sunt. De re quacunque, die vel noctu acta, solemus in universum dicere, quod poeta dixit: *κεῖνο κεῖν' ἆμαρ διαίτασεν*, tempore accuratius non definito. Quo nunc poeta praemisso leniter corrigens subiungit *ἢ νύκτες*, euphemismo scilicet Pindarico.

Sed duo etiam restant, ubi in verba peccatur, loci. Primum in v. 263 *γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν* interpretes, audacia necessaria destituti, Oedipi imitari nunc non prudentiam videntur, sed caecitatem. Intelligunt enim: »calle nunc Oedipi »sapientiam, intellige nunc sententiam eius, quod »propositurus sum, aenigmatis.« Nisi quod Tafelius ipsius Oedipi sententias hic odoratur. Poeta nunc *Οἰδιπόδα σοφίαν* liberiore dictione appellat *σοφίαν*, qualis Oedipo proponebatur h. e. cuius sensus divinatione intelligendus est. Hinc sequitur: *εἰ γάρ*. — Deinde iidem in v. 277 *τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος ῥῆμα πόρσυνε* somnum, quem aliquando dormitasse dicitur, Homeri imitantur. Non dicit Pindarus: audi autem Homeri *etiam hoc* verbum, sed: *Homeri* autem etiam hoc (*τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε*) i. e. audi etiam Homeri hoc. Quod a

Tafelio iam indicatum non addidissem, nisi ille ad falsam suam versus 263 explicationem provocasset. — Ceterum de ipsis aenigmatis, quae nunc sequuntur usque ad finem carminis, alio loco exponetur.

Pyth. V.

Tria in hoc carmine tangam ut potissima. Ac primum de v. 6 seqq. *σύ τοί νιν κλυτᾶς αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο σὺν εὐδοξίᾳ μετανίσσεαι* etc. quas vidi explicationes vel coniecturas, eae non recte se habent. Plurimi intelligebant, Arcesilaum inde ab imis vitae gradibus i. e. a pueritia divitias cum gloria quaesivisse. Cui sententiae Boeckhius praeter alia hoc opposuit: *ἄκρας βαθμίδας* non infimos gradus esse, sed summos. Ipse ex codicibus nonnullis *τοίνυν* tenet vel *σύ τοι νῦν* hoc sensu: »tu redis summa cum gloria a summis beatae vitae fastigiis i. e. a Pythica victoria.« Quibus Dissenius cum Tafelio recte opposuit: Arcesilaum nullo modo dici posse redire a pythica victoria. Ipsi redeunt ad vulgarem explicationem. Itaque novam proponam interpretationem. *Σὺ τοί νιν* (*τὸν πλοῦτον*) *κλυτᾶς αἰῶνος ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο* (ab aetatis tuae inclitae summis gradibus h. e. neque pueritia neque victoria pythica, sed imperium cyrenaicum. Hoc dicit: inde a tempore, quo ad imperium ascendisti. Quo ipso tempore *τὸν πλοῦτον* Arcesilaus *πότμου παραδόντος* accepit. Quod cum certum in vita eius tempus sit, poeta brevi fortique elegantia usus non solum non dixit: inde ab ascensu summorum graduum, sed ipsum illud *ἀκρᾶν βαθμίδων ἄπο*, de gradibus illis ut de tempore locutus. Inde ab hoc

igitur, inquit, tempore *τὸν πλοῦτον*) *σὺν εὐδοξίᾳ μετανίσσεαι ἕκατι χρυσαρμάτου Κάστορος, ὅς* etc. (quae nunc optime se habent, in vulgari explicatione non recte sequebantur).

Deinde in stropha secunda sensum verborum: *σὲ δ' ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται· τὸ μὲν, ὅτι βασιλεὺς ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων, ἔχει συγγενὴς ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί* interpretes non videbant sua culpa, quippe collocationem verborum pertinaciter non audientes. Pindarus hoc dicit: te magna felicitas circumdat. Primum, quia rex es magnarum urbium, innatus splendor venerandissimum habet hunc honorem tuae mixtum menti. Quibus poeta tria copiose cumulavit: primum *εὐγένειαν* viri natu ideoque oris honestate nobilissimi (*συγγενὴς ὀφθαλμός*); dein regiam dignitatem; denique dignitatem hanc ingenii dotibus auctam (*αἰδοιότατον γέρας τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί*).

Denique tangam v. 72 seqq. *τὸ δ' ἐμὸν — πόλιν.* In quo loco ante omnia mihi liceat et Hermanni et Boeckhii operam laudare. Deinde addere: verum a neutro inventum esse. Quod ut dicam cogi mihi videor ipsa veritate. Locus, inquies, nobis desperatus, nam res, quae tanguntur, incertae; ex quarum varietate vel structurae coniunctionisque verborum necessitas diversa. Est tamen etiam in hoc loco, quod necessarium mihi per ipsa verba videtur, ex quo simul, quae in rebus dubia videantur, mihi constituo.

Ac primum verba *τὸ δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ*

Σπάρτας ἐπήρατον κλέος ita vulgo vertunt: meum autem praedicant a Sparta amabile decus. Quod ita interpretantur: me autem Sparta oriundum celebrant. Quod quomodo nunc dicatur, prorsus non intelligo. Illud potuit nunc dici, quod Boeckhius vult: »quia propinquus Spartanis sit per Aegidas, »ideo ipsi ex Sparta gloriam accedere.« Quo magis mirari licet, illum non vidisse, revera haec a poeta his verbis dici. Nam vox *τό*, quae legitur post *Αἰγιμιοῦ τε*, non est articulus, sed pronomen demonstrativum. Pindarus enim post verba *Αἰγιμιοῦ τε* breviter sic pergit: hinc est, quod meam gloriam praedicant a Sparta. Quod graece audit: *τὸ* (*τόδε*) *δ' ἐμὸν γαρύοντ' ἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος*. Rhythmos consule.

Transeo ad sequentia. Quae Hermannus inde a voce *ἀλλά* sic constituit et interpretatus est: *ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον, ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ Καρνήϊ' ἐν δαιτὶ σεβίζομεν, Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν*. In fatis erat, inquit, ut sacra illa, a quibus nostra Carnea ducta sunt, Cyrenen afferrentur. — Id hic ita expressit: *μοῖρα ἄγε πολύθυτον ἔρανον* (*ἐς*) *Κυράνας πόλιν*. *Ἔνθεν* autem ad *ἔρανον* spectat: ab illo Spartanorum solemni, inquit, nos quoque duximus Carnea eaque epulis celebramus. Quae interpretatio, una vocula subtracta, concidet. Subtrahenda autem revera vocula *ἔνθεν*, quae quominus ad *ἔρανον* sive Theraeum sive Spartanum referatur non patitur dictionis Pindaricae elegantia (neque leguntur in graecis quae Hermannus in explicatione apposuit verba »nos quoque«,

quae necessaria mihi in illo sensu videntur, cum nihil sciam, quod interfuerit inter πολύθυτον ἔρανον et Κάρνεια, quibus *vel nomen* congruerit; neque dici omnino posse, quantum novi Carnea, puto: Κάρνεια ἐν δαιτὶ σεβίζειν, etsi dictum est θυσίας σεβίζειν θεοῖς). Verum, ubi coniungis μοῖρα ἄγεν ἔρανον Κυράνας πόλιν, vox ἔνθεν necessario refertur *ad Cyrenas*. — Boeckhius ita scripsit: ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον· ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ, Καρνήϊ', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν: »sed fatum deduxit victimis mul»tis celebratum epulum: unde nos susceptam, Apollo, »in tua, Carnee, comissatione Cyrenes pulcre con»ditae memoriam veneramur.« Quam constitutionem, ingeniose licet excogitatam fortiterque propugnatam, non patitur eadem vocula ἔνθεν. Quae non potest neque id, quod Boeckhius primum dicebat, significare: »unde fit, ut«, neque ad Theram, quam postea, monente Tafelio, substituit, referri. — Ecce igitur, quod mihi necessarium in hoc loco videtur. Primum cohaerent: ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν. Deinde interposita sunt: ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, Ἄπολλον, τεᾷ, Καρνήϊ', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν. Ἔνθεν refertur ad id, quod exspectatur, ad Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν. Obiectum verbi σεβίζομεν est αὐτήν i. e. quae sequitur, Κυράνα, Cyrene nympha. Hoc dicit: Sparta venerunt Theram Aegidae, mei avi, non sine diis, sed fatum volebat, ut Cyrenas venirent. In qua sententia poeta Aegidas per insigne Aegidarum significat, quia de hoc aliquid dicere vult, hoc: in Car-

neis Thebanis Cyrenen celebrari. Quo coniunctionem inter Thebas et Cyrenas, quod vult, describit. Ita totius loci exstitit structura. Ἄγεν, ἔνθεν, σεβίζομεν referuntur ad verba splendide in fine collocata Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν; ita quidem, ut, quod res fert, in verbis ἄγεν et ἔνθεν urbs Cyrenarum, in verbo σεβίζομεν Cyrene nympha (Κυράνας) cogitetur. — Quod necessarium hoc per ipsa verba ab initio dixi, eo factum est, quod aliam omnino, qua haec verba dici potuerint, rationem non inveni, rebus licet suppositis vel his vel illis. Argumenta mea singula et conclusiones, copiam verborum perhorrescens, non adscribo. Unum addo. Si quis forte explicationem propositam nimium quam contortam sibi videri dixerit et obscuram, huic respondebo: si in πολυθύτῳ Carneorum ἐράνῳ Thebano Cyrene simul, Apollinis, quam novimus e pythico carmine nono, uxor, revera celebrabatur propter gentis propinquitatem, et pulcrum prorsusque Pindaricum erat ita loqui et omnes, qui audiebant sensum verborum necessario ac facillime intelligebant.

Pyth. VI.

Non memini dulcius carmen legisse; nisi inter Pindarica. Verum laborare idem in commentariis multipliciter taceri nequit. Quod saepe dolui. Atque in prima stropha victoriae gloriam Delphis conditam θησαυροῖς comparari illis, qui in locis certaminum exstructi videbantur, intellexerunt interpretes recentiores. Quod ipsi tamen irritum faciunt iungentes verba θησαυρὸς ὕμνων, vocem ἑτοῖμος

nescio quo modo interpretantes. Cohaerent ἑτοῖμος ὕμνων h. e. ut Pindari verbis dicam, δυνατὸς παρέχειν πολὺν ὕμνον vel cui πολὺς αἶνος ἑτοῖμος.

In altera stropha primum Pindarus non scripsit τυπτόμενον. Nam necessitas in hoc loco poetica ea est, ut ventorum vis augeatur, non ut ratio τοῦ ἄγεσθαι accumulate definiatur. Non illud descripsit, quod negat, sed hoc dixit: vel furiosissimis ventis frustra thesaurum illum exerceri. Iam in verbis ἄνεμοι παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενοι dicuntur venti, qui omnem colluviem secum ferunt, ipsi pulsari et verberari χεράδι παμφόρῳ. Quod et pulcre dictum est et ita, ut colluviei vis ventis accedat.

Tertiae strophae initium in praefatione tetigi. Νιν significat ἐφημοσύνην, quamquam praecedit. Quod an fieri possit omnino et quomodo fiat, nunc non exponam. De hoc loco tantum si quis dubitet describam, qua ratione sensus pronominis menti audientis afferatur. Scilicet vox illa praeposita σχέθων proxime sequentia arripiens quasi et comprehendens, ruente rhythmo, adducit ad vocem ὀρθάν; quae ipsa cogitationem ad sequens, quod illico exspectatur, protundit substantivum. Itaque pronomen ad vocem suam certa deducitur via. — Ceterum de ipsa sententia ac progressu sententiarum in altera addendorum parte exponam. Unum nunc addere in loco singulari, quod ad methodum pertinet, mihi liceat. Ubicunque enim legentibus nobis accidit, ut ne pronominis quidem sensum vel subiectum vel similia sentiamus, primum singula verba expendere denuo debemus. De quibus multa et varia saepe

inquirere possumus; nam multa nescimus etiam de tritissimis. Deinde, si nondum intelligimus, quod dicitur, totum locum continuum iterum iterumque, donec intellexerimus, relegere. Non vero, quod fieri video quotidie: in loco subsistere et circumspicere circum proxime iacentia et hoc vel illo argumento sive verisimilitudine concludere. Cui rationi quo facilius nos tradimus — ut, ubi haereamus, e proximis auxilium petamus — eo fortius ratione resistendum est. Nam verisimilitudines istae et argumenta prorsus incerta, in viva ac perpetua oratione sola fides. Neque impune veram in hac re methodum neglexerit quisquam. Ἀφίσταμαι. In eadem tertia stropha verba *μάλιστα μὲν Κρονίδαν θεῶν σέβεσθαι* non recte explicantur. Ne plura afferam, Dissenius scripsit: »primum, inquit, deos et »inter deos Iovem, ut Hermannus et Boeckhius no»tarunt.« Hoc verba non dicunt. *Μάλιστα* omnino non ad deos refertur, sed non nisi ad alteram sententiae partem: *μάλιστα μὲν* Iovem venerari, deinde parentes. Iam cum in priore membro de deorum veneratione sermo sit, voci *Κρονίδαν* notio illa deorum se adiungit per se, sine omni cum voce *μάλιστα* coniunctione. *Θεῶν*, quod non pendet nisi e voce *Κρονίδαν*, idem hic, quod in prosa oratione *θεόν*. — Praeterea voces *ταύτας δὲ τιμᾶς* (h. e. *τοῦ σέβεσθαι*) non recte frigent, cui frigent. Poterat quidem dici *ταὐτᾶς δὲ μή ποτε τιμᾶς*. Sed haec vulgaris dictio erat, qua vulgus semper utitur, non Pindarus. Qui eadem brevius quasi atque nervosius ita dixit: hujus autem honoris. Quod mihi

quidem semper non solum placuit, sed plane necessarium visum est inter ceteram Pindari dictionem: ut offenderem, si aliud legerem.

In quinta stropha structuram verborum: *ἐδόκησέν τε τῶν πάλαι γενεᾷ ὁπλοτέροισιν, ἔργον πελώριον τελέσαις, ὕπατος ἀμφὶ τοκεῦσιν ἔμμεν πρὸς ἀρετάν* triplici modo constituunt. Alii: *ἐδόκησε τοῖς ὁπλοτέροισι τῶν πάλαι.* Alii: *ἐδόκησε τοῖς ὁπλοτέροισιν ὕπατος τῶν πάλαι εἶναι.* Alii denique: *ἐδόκησεν ὕπατος εἶναι τοῖς* (inter) *τῶν πάλαι γενεᾷ ὁπλοτέροισιν.* Ego hanc video: *ἐδόκησε τῶν πάλαι — γενεᾷ ὁπλοτέροισιν ὕπατος ἔμμεν.* Genitivus pendet e Thrasybulo; dativus e voce *ὕπατος.* Quo duplex genitivus devitatur. Visus est, inquit, ille priorum hominum inter natu iuniores summus esse in reverentia parentum.

Quae nunc sequuntur verba: *τὰ μὲν παρίκει· τῶν νῦν δὲ καὶ Θρασύβουλος πατρῴαν μάλιστα πρὸς στάθμαν ἔβα πάτρῳ τ' ἐπερχόμενος ἀγλαΐαν ἔδειξεν,* quo pacto praegressis adiungantur, adhuc restat patefacere. Neque enim sufficit v. c. Dissenii opera, qui scripsit: »sequi debebat: recentiori vero tempore etiam Thrasybulus est unus eorum, qui pietate erga parentes se distinguunt maxime. Sed »iterum pro generali forma peculiarem substituit, »ita dicens: inter recentiores etiam Thrasybulus maxime ad patris normam incessit et patruum imitans virtutis et victoriae decus ostendit s. conspiciendum praebuit h. e. inter recentiores etiam »Thrasybulus prae aliis pium se ostendit patrem »patruumque imitans virtutis et gloriae studio eos-

»que victoria reportata illustrans.« Res ita se habet. Pindarus dicit: eorum, qui nunc sunt, etiam Thrasybulus, praeclarum illud εὐσεβείας edens exemplum, patris patruique virtutes splendide imitatus est. Thrasybulus ipse aurigaverat. Hoc sciebant omnes. Hoc subest verbis. Quod dum tacetur ut res nota, et accurata cum Antilocho comparatio, quae evitanda erat, evitatur, et Xenocratis laudes adduntur Theronisque. Quae vera huius loci causa est, ut in carmine brevi Xenocratis simul atque Theronis virtutes celebrentur. Iam nunc denuo locum lege mecum: *τὰ μὲν παρίκει· τῶν νῦν δὲ καὶ Θρασύβουλος* (in patris curru nunc pro patre certans) *πατρῴαν μάλιστα πρὸς στάθμαν ἔβα πάτρῳ τ' ἐπερχόμενος ἀγλαΐαν ἔδειξεν*. In quibus verbis haec: *ἔβα* et *ἀγλαΐαν ἔδειξεν* non in universum de Thrasybuli, quibus uti soleat, moribus dicta sunt, verum de facto illius et certamine. *Ἔβα*, cum audacter periteque aurigabat, et *ἀγλαΐαν ἔδειξεν*, cum victor splendide e certamine egrediebatur. (Itaque dubitantibus de aurigatione Thrasybuli ipsum Pindarum tanquam testem excitabo).

In ultima stropha verba *τίν τ' Ἐλέλιχθον ὀργαῖς ἐς ἱππίαν ἔσοδον μάλα ἁδόντι νόῳ, Ποσειδᾶν, προςέχεται* sic intelligo: Poseidon, dir hängt er an in seinen Bestrebungen zum Rosskampf mit sehr gefallenfindendem Geiste.

Denique in fine carminis aliud lego atque interpretes. Hermannus: »recte scholiastes *γλυκεῖα* »*ὁμιλεῖν* iunxit: suavis ad vitae societatem indoles »etiam mel superat.« Boeckhius: »*ἡ δὲ φρὴν αὐ-*

»τοῦ, γλυκεῖα οὖσα καὶ ἐς τὸ ὁμιλεῖν συμπόταις, »μελισσᾶν ἀμείβεται τρητὸν πόνον, eius mens autem »etiam in convivarum societate tam est dulcis, ut »apum opificium superet iucunditate.« Imo Pindarus cogitavit: ἡ δὲ φρὴν αὐτοῦ γλυκεῖα καὶ ἐν τῷ συμπόταισιν ὁμιλεῖν μελισσᾶν ἀμείβεται τρητὸν πόνον.

Pyth. VII.

Videntur mihi interpretes animam parvi sed praeclari carminis exstinguere et Pindarum quasi paucis versibus eripere, in versu decimo tertio voces *ἄγοντι δέ με* explicantes: vocant, provocant, adducunt, impellunt me ad canendum. Pindarus dixerat: in canenda Alcmaeonidae victoria pulcherrimum prooemium esse Athenas. Nunc pergit: *ἄγοντι δέ με* h. e. ducunt autem me; quod in prosa oratione dixeris: ducunt autem me in carmine continuando quinque victoriae Isthmiacae, una Olympica etc. — De reliquis non huius loci est disputare.

Pyth. VIII.

V. 67 sqq. *ἄναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ κατὰ τὶν ἁρμονίαν βλέπειν, ἀμφ' ἕκαστον ὅσα νέομαι.* Quaeritur de voce *τίν*. Graeci interpretes et recentiorum nonnulli: *κατά τιν' ἁρμονίαν*. Boeckhius: *τὶν ἁρμονίαν* i. e. *σοῦ, σὴν ἁρμονίαν*. Dissenius cum Heynio: *εὔχομαί τιν*. Denique Hermannus *τίν* accusativum habet: *εὔχομαι ἑκόντι νόῳ σὲ καταβλέπειν ἁρμονίαν*. Mihi *accusativus* omnino molestus est (ideoquo duplici modo suspectus), postquam in

praepositis verbis ἑκόντι νόῳ iam cogitavi, qui subiectum sententiae est, Apollinem. Qui mihi non potest in sequentibus addi nisi in casu dativo. Itaque, τίν, ut *dativum*, sic accipio: ἄναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ καταβλέπειν σοὶ ἁρμονίαν: mit geneigtem Geiste bitte ich *an* dir die Harmonie zu schaun. Quod alio modo diceretur: ἄναξ, ἑκόντι δ', εὔχομαι, νόῳ κατὰ σοὶ ἁρμονίαν βλέπε. Quam dictionem graecam esse puto. Dicunt καθορᾶν τι, quod nunc eleganter disiunctum est.

Pyth. IX.

Pauca nunc libabo in carmine egregio. In v. 13 θεῷ τε γάμος μιχθεὶς κούρᾳ θ' Ὑψέος εὐρυβία neque est connubium, de quo inter illos convenerat, neque, quo olim se iunxerunt, sed est simpliciter *'connubium inter* deum et filiam Hypsei. Quod poeta copiose connubium deo mixtum et Cyrenae dicit; non antea hoc vel illo modo, sed: quod intersit. — In verss. 65—67 unum aliter sentio, quam Boeckhius. In verbis enim Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν mihi τὸ τοῖς καλεῖν variatio est ultimo tantum nomini adhibita neque recurrens ad voces Ἀγρέα καὶ Νόμιον. Idque non prorsus fortuito. In illis enim nominibus res facile cogitantur, quibus deus, sic appellatus, praesit; in hoc non nisi nomen. Praeterea lego: ἀνδράσι χάρμα φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλοις. — In v. 94 πόλις urbs Thebarum est. In v. 96 ἀστοί cives Cyrenarum. — Denique non supervacaneum videtur v. 99 seqq. tangere. In quibus offendunt

omnes in *virginibus* Telesicraten sibi filium optantibus. Itaque *mulieres* vel substituunt vel addunt. Ut Boeckhius: »omnes mulieres viderunt, singulae, »prout quaeque erat, aut virum aut filium expete»bant. Ὡς ἑκάστα dividit inter mulieres, ut quae»que aut virgo erat aut nupta: posterius »aut nu»pta« non expressum est, sed facile suppletur ob »υἱόν.« Quod, ut reliqua taceam, peccat in dictionem ὡς ἑκάστα. Dissenius: »videbant te victorem »et tacitae sibi quaeque virgines coniugem te opta»bant aut ut filium aliquando talem habere contin»geret.« Eodem modo Welckerus in Mus. Rhen. Philol. II, 3 p. 378. »bei diesen Spielen sahen die »Kyrenischen Jungfrauen ihm zu und jede wünschte »still, dass er ihr lieber Gemahl oder (dass so künf»tig ihr) Sohn sein möchte.« Sed Pindarus nil nisi: *εἶδόν σε παρθενικαὶ καὶ πόσιν ἢ υἱὸν εὔχοντ', ὦ Τελεσίκρατες, ἔμμεν.* Mulieres neque admovebuntur ulla huc machina nec praesentes nec futurae, neque desiderantur. Telesicraten virgines optabant maritum vel filium esse suum. Utrumque votum in universum muliebre. Neque opus, ut virgo mulier fiat vel de futuro tempore cogitet ad tale votum corde volutandum. Poetam autem decebat hic et puellas tantum nominare et copiose vota spectantium describere.

Pyth. X.

Primum in v. 4 *τί κομπέω παρὰ καιρὸν; ἀλλά με Πυθώ* etc. cogitationem poetae interpretes non assecuti sunt. Hermannus: »quid est quod temere

»dicam? Nihil. Sed enim Pytho me poscit.« Boeckhius: »quid iacto intempestive? Immo vero me Pythoque cet. nihil igitur praeter rem aggredior.« Dissenius: »Verum quid hic iacto praeter rem? At »Pytho cet. haec me poscunt; non iste latus campus ingrediendus, ut de potentia Heraclidarum dicam universa, sed certae quaedam urbes et personae sunt, quae me vocant, huc oratio revocanda.« Pindarus hoc dicit: verum quid iacto praeter rem? Non pergendum mihi in his verbis, sed Pytho me et Pelinnaeum vocant cet. Opportunitatem exordii ipse *dissimulat* omnino neque exponit ullo modo, eaque est huius prooemii vis poetica.

Deinde verba v. 17 *ἕσποιτο μοῖρα καὶ ὑστέραισιν ἐν ἁμέραις ἀγάνορα πλοῦτον ἀνθεῖν σφίσιν* aliter ab interpretibus cogitari videntur, quam a poeta. *Μοῖρα* non est fortuna, sed sors, et explicatur reliquis sententiae verbis.

In v. 28. *ὅσαις δὲ βροτὸν ἔθνος ἀγλαΐαις ἁπτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον πλόον* male post *περαίνει* inferciunt *ταύτας* vel *τόσας*; quo vim verborum et elegantiam frangunt. *Περαίνει*, quod hic absolute dictum est, simul atque auditur, eorum, quae praecedunt, exstinguit memoriam. Hinc collocatio verborum. In verbis *περαίνει πρὸς ἔσχατον πλόον* in universum nunc cogitatur notio felicitatis hominibus datae.

In v. 34 *ὧν θαλίαις ἔμπεδον εὐφαμίαις τε* etc. video omnes festas dapes intelligere et laudes Apollini cantatas. Attamen negligentiam hanc suam ut emendarent vel sequentibus admoneri debebant. Can-

tus et epulae significantur demum inde a verbis Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ usque ad εἰλαπινάζοισιν. Itaque totam narrationem turbabant.

Neque in v. 48 verba *ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον* intelligunt. Hermannus: *ἐμοὶ δὲ, θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων, οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον.* Boeckhius: »mihi, ubi dii agant, nihil videtur in»credibile, sed credendum est, etiamsi mirandum »sit.« Dissenius: »mihi vero ad mirandum, ubi dii »agunt, nihil usquam videtur incredibile h. e. ne »miror quidem, cum diis nihil non facillimum.« Fefellit praeter poeticam dictionis ubertatem vox *θαυμάσαι.* Sensus enim est: mihi ad credendum, si dii fecisse perhibentur, nihil unquam videtur incertum. Pro simplici credere dixit credere et admirari. Vertendum igitur: mihi *ad admirandum* (h. e. quin credam admirerque), si dii perfecerint, nihil unquam videtur incertum.

Denique in v. 51 verba *κώπαν σχάσον — ἐγκωμίων γὰρ ἄωτος ὕμνων ἐπ' ἄλλοτ' ἄλλον ὦτε μέλισσα θύνει λόγον* inde a scholiis graecis sic intelligunt: »Pindarum sese a digressione revocare: transeundum »esse ad aliud; sic enim hymnos solere ab alia re »ad aliam vagari.« Contra poeta propterea ancoram eiici iubet, *ne*, quod soleat, hymnus encomius ab alia ad aliam rem vagetur.

Pyth. XI.

In uno maxime ab interpretibus discedo loco, in vv. 54—58. De quibus quas vidi explicationes

et coniecturas, eae Pindari dictionem mihi exstinguunt omnes. Poetae animus graviter commotus. Suada pulcherrima. Verba *εἴ τις ἄκρον ἑλὼν ἀσυχᾶ τε νεμόμεμος αἰνὰν ὕβριν ἀπέφυγεν* neque prodosis sunt sequentium, neque etiam addita verbis *φθονεροὶ δ' ἀμύνονται ἄτᾳ*. Sed addita sunt verbis *ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖς τέταμαι*, quibus dictum erat: hoc probo, communibus virtutibus indulgere. Quibus illa, interposita sententia de invidia non nocente, ut explicatio vel cumulatio adduntur: *εἴ τις ἄκρον ἑλὼν* etc. Quibus pulcre adduntur: *μέλανα δ' ἀν' ἐσχατιὰν καλλίονα θάνατον σχήσει* etc. Sic etiam sanissima esse senties verba, obiter nunc interserta, *φθονεροὶ δ' ἀμύνονται ἄτᾳ*. Quae opposita sunt studio tyrannidis, cui tantopere nocet invidia; quod poeta in priore carminis parte exposuit. — Quae dixi de hoc loco ex sonu verborum, rhythmis definito, audio necessario.

Pyth. XII.

In versu quinto et verba *ἐκ Πυθῶνος* et dativus *εὐδόξῳ Μίδᾳ* pendent e voce *στεφάνωμα τόδε*, qua hoc carmen significatur.

Nem. I.

V. 8. *ἀρχαὶ δὲ βέβληνται θεῶν κείνου σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς.* In his *τὸ σύν* ideoque tota sententia non intellecta est. Sensus non est, quem v. c. Hermannus dixit: »orsa deorum, tan»quam fundamenta, iacta sunt, cum ipsius Chromii »praeclaris coniuncta virtutibus: id est, deos fortu»nae suae auctores habet, neque ipse sibi studio et »contentione virium defuit.« Vel Dissenius: »ut re»portaretur haec victoria curru Chromii, factum est »deorum ope propter virtutes viri.« Sed hic: fundamenta posita esse deorum, cum natura ille praestantissimis praeditus sit virtutibus. *Ἔστι δ' ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον* etc.

V. 64 seqq. Hermannus: »*καί τινα σὺν πλαγίῳ* »*ἀνδρῶν κόρῳ στείχοντα τὸν ἐχθρότατον φᾶσέν ἱν* »*δώσειν μόρον.* Loquitur de Nesso, qui ipsi Her»culi frudulenta malitia crudelissimum mortis genus »paraverit.« Quem Boeckhius secutus est vertens: atque aliquem hominum cum obliqua invidia incedentem diram dixit ei illaturum mortem. Dissenius primum coniecit *στείχοντά ποτ' ἐχθρότατον* et *μόρῳ*, deinde *τόν* restituit; hoc sensu: »atque »aliquos virorum obliqua cum insolentia incedentes »infestissimos dixit eum daturum morti. Nam »etiam (*καὶ γὰρ*) cum Gigantibus eum pugnaturum.«

Matthiae: »*καί τινα σὺν πλαγίῳ ἀνδρῶν κόρῳ στεί-* »*χοντα, τὸν ἐχθρότατον φᾶσέ νιν δώσειν μόρον* »(sc. *αὐτῷ*).« Structura totius loci haec: *ὁ δὲ φράζε, ποίαις ὁμιλήσει τύχαις, ὅσσους μὲν θῆρας — καί τινα ἀνδρῶν — καὶ γὰρ ὅταν* etc. Quod Hermannus videbat; qui non videt, eum totius loci fugit vehementia. *Καὶ γάρ* recurrit ad sententiam: Tiresias edixit, quam magna Hercules acturus sit. Scribendum necessario, quod Dissenius dixit, *μόρῳ*; quod mutatum est a scribentibus propter verba *τὸν ἐχθρότατον.* Structura: *καί* (auch) *τινα ἀνδρῶν, σὺν πλαγίῳ κόρῳ στείχοντα, τὸν ἐχθρότατον, φᾶσέ νιν* (subiectum) *δώσειν μόρῳ.* Quibus verbis (et dictis omnino et sic dictis propter sensum internum) significatur Nessus, quem Hercules interfecturus sit.

In iis quae de Gigantibus nunc sequuntur verbis: *καὶ γὰρ ὅταν θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέγρας Γιγάντεσσιν μάχαν ἀντιάζωσιν, βελέων ὑπὸ ῥιπαῖσι κείνου φαιδίμαν γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν ἔνεπεν* nimia pulveris homerici memoria legentium oculos ita caecasse videtur, ut eheu! magnam deorum hominumque matrem pro levi sordidoque pulvere haberent. Nam vident in hoc loco omnes Gigantum comam occisorum pulvere contaminatam. Fateor *terrae* me hic legere splendidam contaminatum iri comam cruore Gigantum. Neque enim video *pulverem* neque *Gigantes* neque comas eorum. Scribatur, si opus est, *Γαίᾳ*, quo dativus terrae ab ablativo pulveris lucidius distinguatur.

Nem. II.

Initium nunc tangam et exitum. In illo quaeritur de verbis *ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοί*. Quae mihi, licet multas aliorum explicationes accurate legerim, non alia de causa dicuntur, quam quia rhapsodus *ἔπη* sua ita incipit, ut adnectat ad aliquid, quod praecedit. Nam partes secum fert historiarum, quas aliquo modo exorditur. — In fine carminis laedunt mihi poesin Pindaricam, qui de sequentibus loquuntur carminibus.

Nem. III.

De versu duodecimo dixi in prolegomenis. In v. 16 verba *ἐν περισθενεῖ μαλαχθεὶς παγκρατίου στόλῳ* non negantur, sed dicuntur. Hinc pergit: *καματωδέων δὲ πλαγᾶν ἄκος ὑγιηρὸν ἔν γε βαθυπέδῳ Νεμέᾳ τὸ καλλίνικον φέρει*, quae a paucis quidem, sed tamen explicata sunt. Subiectum enim non Aristoclides, quem vel vocula *γέ* longissime depellit, sed *τὸ καλλίνικον*, quod Nemeorum victori plagarum laboriosarum remedium ferre dicitur.

Denique ad v. 76 seqq. *ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι, κιρναμένα δ' ἕερσ' ἀμφέπει, πόμ' ἀοίδιμον Αἰολῇσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν* nemo adnotavit, cohaerere *τόδε πόμ' ἀοίδιμον*. *Πόμ' ἀοίδιμον* et quae sequuntur verba non sunt appositio verborum *μεμιγμένον μέλι* etc., sed contra. Appositiones interpositae sunt: *μεμιγμένον — ἀμφέπει*. Debet igitur sic interpungi: *ἐγὼ τόδε τοι πέμπω, μεμιγμένον μέλι* etc.

Nem. IV.

Unus prae omnibus me vocat locus; in quo brevitas dictionis sententiam interpretibus operuisse videtur. Legitur enim in v. 85 seqq.: *κεῖνος ἀμφ' Ἀχέροντι ναιετάων ἐμὰν γλῶσσαν εὑρέτω κελαδῆτιν, Ὀρσοτριαίνα ἵν' ἐν ἀγῶνι βαρυκτύπου θάλησε Κορινθίοις σελίνοις.* Quod Stephanus vertit: »decantatricem, quo pacto in certamine decoratus fuerit.« Portus: »propter victoriam partam in ludis Isthmiis.« Pauwius: »*γλῶσσαν κελαδῆτιν, ἅτε στάλαν, εὑρέτω, ἵνα ἐν ἀγῶνι* etc.« Heynius: »*γλῶσσαν κελαδῆτιν εὑρέτω, ἐχέτω, ἐν ἀγῶνι Ὀρσοτρίαινα, ἵνα θάλησε σελίνοις.*« Dissenius: »ille ad Acherontem habitans meam vocem invenito in Isthmo. — Cur vero »in Isthmo dicet? Quoniam ibi splendet gloria viri »vigetque integra memoria factorum; ibi igitur laudes viri, quem non vidit, si postulantur, haurire »et ad cantum incalescere vult.« Quibus miror non hoc additum esse: pro suavi augurio ita dici Timasarcho ad isthmiacum se certamen praeparanti. Quod non *ὡς ἀτιμάζων* dico. Sed aliqua sic videretur esse sententiae non Pindaricae excusatio. Verum ne sic quidem ea Pindari poesis est, ut dicat: illum, si laudandus praeterea est, canam in Isthmo. Ut nec in Nem. IX v. 42 *τὰ δ' ἄλλαις ἀμέραις πολλὰ μὲν ἐν κονίᾳ χέρσῳ, τὰ δὲ γείτονι πόντῳ φάσομαι* verba *ἄλλαις ἀμέραις* ad *φάσομαι* adtinent. Intelliges, quid Pindarus dicat, ex verbis recte cogitatis. Nimirum per se nihil est illud: ille circa Acherontem habitans invenito meam linguam in Isthmo. Neque enim Pindarus verba *ἀμφ' Ἀχέ-*

ροντι ναιετάων dicit, ut simpliciter »mortuum« significet, neque, ubi illa praecedunt, verba εὑρέτω ἐμὰν γλῶσσαν in universum dicunt »canatur.« Ut breviter dicam: inveniet, ubi habitat. Itaque Pindarus: *κεῖνος*, inquit, *ἀμφ' Ἀχέροντα ναιετάων ἐμὰν γλῶσσαν εὑρέτω κελαδῆτιν de eo loco, ἵνα ἐν ἀγῶνι Ὀρσοτριαίνα* etc. de Isthmo, ubi etc. Itaque haec ipsa verba laudes illae sunt, quas inveniet ad Acherontem. Quod necessarium est. Incredulus conferat initium Isthm. II *οἱ μὲν πάλαι — ῥίμφα παιδείους ἐτόξευον μελιγάρυας ὕμνους, ὅστις ἐὼν καλὸς εἶχεν Ἀφροδίτας εὐθρόνου μνάστειραν ἁδίσταν ὀπώραν.* Quod, simili licet brevitate dictum, omnes intelligunt, cum una tantum ratione verba illa commode cogitari possint. Eodem modo in nostro loco necessario cogitatur, quod dixi. Potest quidem etiam in illo vox *ὅστις* ad subiectum referri. Sed quis refert? Ita nunc nemo de loco, ubi cantaturus sit poeta, qui verba praecedentia recte legit, cogitabit.

Praeterea explicandos esse video versus 93 seqq. *οἷον αἰνέων κε Μελησίαν ἔριδα στρέφοι* etc. Aristarchus: *οἷον*. Alii: Μελησίας. Alii: qualem (h. e. *ὁμήλικα*) laudans Melesiam. Plurimi: quantopere laudans Melesiam, subiectum verbi *στρέφοι* vel *τινά* habentes vel Euphanem, in cuius gratiam totius loci sensum pervertunt; velut Hermannus: »illum olim »avus tuus cecinit. Alii *enim* aliis aequales sunt, »et, quae quis ipse viderit, ea se optime dicturum »putat. Quantam ille moveret invidiam, si Mele»siam carmine laudaret, invictus docendo, mitis ille

»quidem erga bonos, sed asper malignis adversa»rius.« Nunquam aliud legi, quam hoc: quemadmodum (οἷον) laudans quis (subiectum est τίς e versu praecedenti) Melesiam etc. Pindarus a Callicle, quem Euphanes cecinit, ad res praesentes verba reducit sua versibus 91. 92. Aliis vero, inquit, alii contemporales. Quae ipse viderit, sperat se unusquisque optime dicere. Quemadmodum laudans quis Melesiam etc. Fortasse haerebis, adsuetus τοῦ οἷον θαυμαστικῶς accepti, in debili meo: velut. Igitur depelle istud.

Nem. V.

In v. 6 videntur cogitare *οὔπω γένυσι φαίνων τέρειναν ματέρ' οἰνάνθας, ὀπώραν.* Cogitandum: *οὔπω γένυσι φαίνων τέρειναν, ματέρ' οἰνάνθας, ὀπώραν.*

V. 43. *τὺ δ' Αἰγίνᾳ θεοῦ, Εὐθύμενες, Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πιτνὼν ποικίλων ἔψαυσας ὕμνων. ἤτοι μεταΐξαντα καὶ νῦν τεὸς μάτρως ἀγάλλει κεῖνου ὁμόσπορον ἔθνος, Πυθέα.* Non scio, quod melius scribatur. Interpretationibus fortasse non supervacaneum est addere: vocem *καί* omnino non cohaerere cum voce *νῦν*, sed hoc dici (quod ex rhythmis senties): *ἤτοι νῦν καὶ μεταΐξαντα.* Ita subita illa ab Euthymene ad Pytheam conversio commode instituta est.

Nem. VI.

V. 6. *καίπερ ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες οὐδὲ μετὰ νύκτας ἄμμε πότμος οἵαν τίν' ἔγραψε δραμεῖν ποτὶ στάθμαν.* Ita dictio Pindarica bene restituta est. Quam

tamen qui receperunt in logica verborum ratione dicenda video laborantes. Velut Dissenium, qui scripsit: »construas: *καίπερ ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες* »*στάθμαν οὐδὲ μετὰ νύκτας ποτὶ οἵαν τινὰ ἄμμε* »*πότμος ἔγραψε δραμεῖν στάθμαν.* Tamen, ni fallor, »praestat, quod accuratius iudicium postulat: *καίπερ* »*ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες ποτὶ οἵαν τινὰ στάθμαν* »*ἄμμε πότμος ἔγραψε δραμεῖν, οὐδὲ μετὰ νύκτας* et »quae sequuntur.« Praestabit: *καίπερ ἐφαμερίαν οὐκ εἰδότες, ποτὶ ἂν ἄμμε πότμος ἔγραψε δραμεῖν, σταθμάν, οὐδὲ εἰδότες ποτὶ οἵαν σταθμὰν ἄμμε πότμος ἔγραψε δραμεῖν μετὰ νύκτας.* Variatio membrorum in voce *οἵαν* versatur: cum qua in secundo membro pro adiectivo: *μετὰ νύκτας.*

V. 24. *ἐπεὶ οἱ τρεῖς ἀεθλοφόροι πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον, οἵτε πόνων ἐγεύσαντο.* Vertunt: »quippe »hi tres praemio ornati ad fastigium virtutis per- »venerunt, qui quidem labores attigerunt.« Vel: »nam his tres coronas adepti ad summam virtutis »laudem pervenerunt, qui etiam soli certamina adie- »runt.« Quae me moleste habent neque certum faciunt de ratione verborum intellecta. Verba *οἱ τρεῖς* non per se dicta sunt, sed ita, ut exspectetur, quod sequitur: *οἵτε πόνων ἐγεύσαντο.* Reliqui, inquit, non certarunt omnino. Quicunque certarunt, ii summum virtutis fastigium ascenderunt. Cf. Nem. IX, 33.

De versibus 30 seq. in prolegomenis dixi. Quos recentiores interpretes ita vertunt: »praeteritorum »enim virorum pulcra facta poetae et historiarum »scriptores iis foverunt, Bassidis quae multa sunt.«

Rectius certe priores alii alia tentabant. Velut Heynius rhetoricam figuram a Pindari poesi alienam: »defunctis enim viris — poetae et scriptores prae»clara ipsorum facinora iam extulerunt.« Quod per se quidem his verbis dici potuit. Error e scholiastarum graecorum lectione continenter fluxisse videtur, qui, voce *σφίν* neglecta, *παροιχομένων ἀνδρῶν* de gente Alcimidae interpretantur. Pindarus: praeteritorum enim, inquit, virorum poetae et sermones praeclara ipsorum facta foverunt, iis, quae Bassidis non rara sunt.

Nem. VII.

Hoc vero carmen totum mihi cadit in alteram partem addendorum: ut non nisi paucissima nunc tangere queam.

In v. 7 verba: *ἀρετᾷ κριθείς* vertunt Schmidius: virtute excellens. Heynius: virtute iudicatus. Boeckhius: virtute spectatus. Dissenius: virtute distinctus etc. Sed *ἀρετᾷ* non ablativus est, sed dativus. Cohaerent: *σὺν δὲ τὶν ἀρετᾷ κριθεὶς εὔδοξος ἀείδεται.*

In v. 11 *εἰ δὲ τύχῃ τις ἔρδων* negligenter inde a graecis interpretibus omnes *τύχῃ* interpretantur per *εὐτυχεῖν*; debebant per: nancisci, consequi, quod appetebas. Eodem modo in Olymp. II v. 51 dictum est: *τὸ δὲ τυχεῖν πειρώμενον ἀγωνίας παραλύει δυσφρόνων.*

Praeterea verba inde a v. 48. *τρία ἔπεα διαρκέσει· οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ. Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων θρασύ μοι τόδ' εἰπεῖν φαενναῖς ἀρεταῖς ὁδὸν κυρίαν λόγων οἴκοθεν*, haec,

inquam, confiteor me huc usque non intellexisse. Ne adiutum quidem commentariis. Neque Hermanni me iuvat interpunctio vel Stephani textus: *οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ, Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων. θρασύ μοι τόδε* etc. Intelligerem, si legerem: *τρία ἔπεα διαρκέσει. οὐ ψεῦδις ὁ μάρτυς ἔργμασιν ἐπιστατεῖ, Αἴγινα, τεῶν Διός τ' ἐκγόνων, θράσυ μοι τόδ' εἰπεῖν, φαενναῖς ἀρεταῖς ὁδὸν κυρίαν λέγων οἴκοθεν· ἀλλὰ γὰρ* etc. Nosti Pindari morem longarum, si tribus verbis laudare vult, sententiarum. Post quas transire ad aliud solet. Itaque censeo hic scribendum esse: *λέγων*.

Nem. VIII.

V. 40. *αὔξεται δ' ἀρετά, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει, ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε, πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.* Coniungebant: *ὡς ὅτε δένδρεον ᾄσσει πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.* Deinde: *ἀερθεῖσα πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.* Sed necessario cohaerent, quae supra interpunctione coniunxi: *αὔξεται δ' ἀρετὰ . . . πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα.*

Ad v. 47. Hermannus adscripsit: »elegantius, puto, foret *ὑπερείσω*.« Scripsissem: Debilius multo, puto, foret *ὑπερείσω*. Nam dici nequit quantum et fortius et elegantius ac splendidius *ὑπερεῖσαι*. Quo etiam rhythmi tendunt.

Nem. IX.

V. 22. *Ἰσμηνοῦ δ' ἐπ' ὄχθαισι γλυκὺν νόστον ἐρυσσάμενοι λευκανθέα σώματ' ἐπίαναν καπνόν.* Verborum ita constitutorum ratio tamen, qua cogi-

tata sint, varie indicatur. Boeckhius: »in ripis Is»meni quum illi iter inhibuissent, satiarunt fumum, »corpora igne albicantia.« Dissenius: »λευκανθέα »σώματα cum vi per appositionem interiectum (als »blasse Leichname).« Ita Pindarus non loquitur. Necessario in priore membro subiectum est »illi«, in altero »σώματα«. Itaque recte Hermannus dixit, ἐρυσσάμενοι nominativum esse absolutum. Hoc addi potest: singulari tamen modo se hic habere nominativum absolutum. Ut enim Argivi illi facti tunc sunt σώματα λευκανθέα, ita in his verbis λευκανθέα σώματα ipsis simpliciter substituuntur; ut ne cogitetur quidem αὐτῶν. — Ceterum verba λευκανθέα σώματα neque pallida corpora dicunt neque quae albente fumo involuta albicare videbantur, sed nuda illa mortuorum cremandorum cadavera. Quod quo splendidius pictum sit per vocem λευκανθέα, eo sonat miserabilius. Et antea σπεῦδεν ὅμιλος χαλκέοις ὅπλοισιν ἱππείοις τε σὺν ἔντεσιν.

V. 49. θαρσαλέα δὲ παρὰ κρητῆρα φωνὰ γίγνεται. ἐγκιρνάτω τίς μιν, γλυκὺν κώμου προφάταν, ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιατὰν ἀμπέλου παῖδ', ἅς ποτε etc. In voce μίν intelligunt omnes τὸν κρητῆρα. Quem fateor me nunquam intellexisse, ne admonitum quidem omnium consensu. Ut breviter dicam: verba παρὰ κρητῆρα *notionem* dicunt comissationis, in qua non poteris vinum miscere. Μίν est ἀμπέλου παῖς, ad quem, in fine licet collocatum, hoc pronomen, cum nondum invenerit, quo referatur, ope appositionis γλυκὺν κώμου

προφάταν, et certo et eleganti transducitur modo. In qua via verba *ἀργυρέαισι φιάλαισι* ita voce producuntur, ut recte addantur verba sequentia *ἅς ποτε* cet. Qui in voce *μίν τὸν κρητῆρα* intelligunt, non video, quomodo non offendant in voce *ἅς*, quam praeter exspectationem illis putaverim addi.

Nem. X.

In v. 5. non video manus Epaphi. Versus 29 seqq. *Ζεῦ πάτερ, τῶν μὰν ἔραται φρενὶ, σιγᾷ οἱ στόμα· πᾶν δὲ τέλος ἐν τὶν ἔργων· οὐδ' ἀμόχθῳ καρδίᾳ προςφέρων τόλμαν παραιτεῖται χάριν· γνωτὰ Θειαίῳ τε καὶ ὅστις ἁμιλλᾶται περὶ ἐσχάτων ἄθλων κορυφαῖς* optime sic sanati esse videntur. Restat ut explicentur. Nam Heynius vertit: »premit sua »vota: non autem deprecatur, refugit, decus ex cer»tamine prae ignavia, cum satis animosus sit.« Hermannus: »Theaeus non ignavia deprecatur decus »olympicorum certaminum, quum robur afferat. »Notum hoc ipsi est pariter atque omnibus, qui »illam gloriam concupiscunt: nimirum virtute ibi »opus esse.« Boeckhius: »neque vero segni corde, »cum afferat audaciam, deprecatur beneficium: nota »haec Theaeoque et cuivis cet.« Dissenius: »neque »profecto ignavo animo, roboris fiduciam cum affe»rat, deprecatur gloriam, nota quae res est (*χάριν* »intelligit, gloriam, cuius dulcedo nota sit Theaeo, »multorum ludorum victori, et omnibus athletis, »qui illustriora certamina adeant et de summis co»ronis certent) Theaeoque et omnibus, qui de sum»mis praemiis certant.« Manifesto vitiosa omnia.

Nemo unquam sic locutus est, affirmativa miscens negativis per participia. Quod omnes bene scimus. Attamen poetas graecos ita loquentes inducimus. Uti etiam in Olymp. XIII v. 93 seqq. vel in Pyth. IV v. 118, al. In verbis οὐδ' ἀμόχθῳ καρδίᾳ προσφέρων τόλμαν distinguitur inter τόλμαν, solam audaciam, et ἄμοχθον καρδίαν. Παραιτεῖσθαι autem est τὸ αἰτεῖσθαι modesti ac verecundi. Hoc dicit: neque illud a te petit audaciam afferens sine robore ac fortitudine. Qualia necessaria, si quis ad olympicum certamen accedere velit, esse, notum est Theaeoque et cuivis, qui etc. Quibus dicit: bene instructus iis, quae necessaria sunt, petit victoriam olympicam.

In v. 35. dativum γαίᾳ δὲ καυθείσᾳ πυρί interpretes non dignati sunt verbo tangere. Nititur in verbis ἐν ἀγγέων ἕρκεσιν παμποικίλοις. Pendet enim suspensus, donec audiuntur haec verba; ex quibus intelligitur dici ἐν γαίᾳ.

V. 37. ἕπεται δὲ, Θεαῖε, ματρώων πολύγνωτον γένος ὑμετέρων εὐάγων τιμὰ χαρίτεσσι τε καὶ σὺν Τυνδαρίδαις θαμάκις. De his multa in commentariis adnotata legi. Alii tentant: ἕπεταί σοι εὐάγων τιμὰ κατὰ πολύγνωτον γένος. Alii: ἕπεται πολύγνωτον γένος, εὐάγων τιμά. Boeckhius et Dissenius: ἕπεται ἐς γένος i. e. ἀνέρχεται ἐς γένος, vertentes: »ascendit vero, Theaee, maiorum tuorum materno»rum ad illustre genus certaminum honos per Gra»tias et Tyndaridas.« In Olymp. XIII v. 42 legimus ἕπεσθαι σύν τινι. In eiusdem carminis v. 47 ἕπεσθαι ἔν τινι. In Isthm. V, 49 absolute dictum est:

ϑυμὸς δ' ἑπέσϑω. Ita *ἕπεσϑαι* eleganter interdum dicitur pro: una ire, *comitari*, nulla viae vel temporis, quo alterum alterum sequatur, discrimine. Hoc nunc sensu accusativum adsciscit. Sed respondendum mihi praeterea Dissenio, qui scripsit: »illud »verisimile non est, *ἕπεσϑαι* cum accusativo eodem »plane sensu dictum Graecis, quem dativus habet, »*nec* patitur hoc locus propositus. Quoniam enim »Theaeo quoque *ἕπεται εὐάγων τιμά*, post laudes »Theaei ex hac ratione pergere debebat: *ἕπεται δὲ* »*καὶ ματρώων γένει* s. *γένος ὑμετέρων εὐάγων τιμά*, »nec poterat abesse haec particula.« Pindarus post ipsius Theaei victorias ita pergit: inest autem, Theaee, in genere vestro materno honos certaminum; non primus vicisti, comitatur genus vestrum maternum honos certaminum.

Denique in v. 50 *οὐ ϑαῦμα σφίσιν ἐγγενὲς ἔμμεν ἀεϑληταῖς ἀγαϑοῖσιν* alii cogitant: *οὐ ϑαῦμα, σφίσιν ἐγγενὲς ἔμμεν (εἶναι) ἀεϑληταῖς ἀγαϑοῖσιν*; alii: *οὐ ϑαῦμα, ἐγγενὲς (εἶναι) σφίσιν ἔμμεν ἀεϑληταῖς ἀγαϑοῖσιν.* Sed quis ita loquitur? Neque etiam cogitatur: *οὐχ (ὡς) ϑαῦμα (ὡς ϑαυμαστόν τι) σφίσιν ἐγγενές (ἐστιν) εἶναι ἀεϑληταῖς ἀγαϑοῖσιν*, quod Dissenius in Boeckhii editione dixisse videtur his verbis: »*οὐ ϑαῦμα* h. e. *οὐ ϑαυμαστόν*; nam *ἐγγενές* »est pro substantivo.« Mihi *ἐγγενές* adverbialiter dictum est: *οὐ ϑαῦμα σφίσιν, κατὰ τὸ ἐγγενὲς εἶναι ἀεϑληταῖς ἀγαϑοῖσιν.*

Nem. XI.

Unum eligo. Quae leguntur in v. 33. *συμβαλεῖν μὰν εὐμαρὲς ἦν τό, τε Πεισάνδρου πάλαι αἷμ'*

ἀπὸ Σπάρτας etc. ita interpretes inde a graecis vertunt: facile erat coniicere, agnoscere in Aristagora Pisandri sanguinem etc. Quae non perspicio. Ego ita, perpetuitate ductus, vocem συμβαλεῖν accipio: coniecturam facere de sanguine Pisandri etc. Parentum diffidentia immerita retinuit Aristagoram. At victor rediisset. Ita alium vana perdit confidentia; alium nimia diffidentia iis, quae potest assequi, non patitur potiri. Facile sane erat coniicere, quali ille eventu certaturus sit descendens a Pisandro et Melanippo.

Isthm. I.

V. 42 seqq. In hoc loco primum non scribi potest: εἰ δ' ἀρετὰ κατάκειται. Quae nullo modo coniungi cum verbis πᾶσαν ὀργάν, ἀμφότερον δαπάναις τε καὶ πόνοις, possunt. Neque etiam addita, quam supplent, voce τινί. Quanquam hoc Hermannus probavit vertens: »si cui summo studio »parata virtus est, eum, inquit, laudare decet.« Quae versio niti in ambiguitate vocis »parata est« videtur. Nam parari quidem virtus potest πᾶσαν ὀργάν, sed, si paratur, non κατάκειται; sin parata est, ita ut κατακέηται, non addi potest πᾶσαν ὀργάν. Denique si hoc tantum dicatur: si cui proposita virtus est summo studio paranda: haec, etiam si per se ita dici possent, non possunt certe prodosis esse sequentium: χρή νιν εὑρόντεσσιν etc. Itaque verum mihi videtur, quod censuit Aristarchus, non quod Ahlwardtius clamavit. Tenendum cum Boeckhio: εἰ δ' ἀρετᾷ κατάκειται πᾶσαν ὀργάν. Κατακεῖσθαί τινι, einer Sache obliegen, προςέχεσθαί τινι. Sed in verbis ita scriptis duo restant explicanda. Primum subiectum; dein quo pacto sequatur εὑρόντεσσιν. Nam subiectum non est, quod Boeckhius et Dissenius dicunt, τίς; sed necessario idem, quod in praecedentibus. Itaque poeta hoc dicit: si vero talis vir praeterea ἀρετᾷ κατάκειται πᾶσαν ὀργάν.

Iam nunc non sufficit, quod Boeckhius exponit, posse pluralem sequi post singularem in sententia generali et graecos ita loqui. Nunc quaeritur, quomodo pluralis sequatur, cum in praecedente sententia generali Herodotus praecipue cogitatus fuerit. Scilicet post verba *εἰ κατάκειται* etc., mutat poeta omnino orationem in formam quam maxime generalem. Certissimam ob causam; ut dicat: oportet omnino: ergo etiam Herodoto. Quod erat demonstrandum propter res praesentes. Quae ut sentiamus, faciunt verba; qui non sentit, aut non probat, ei locus non sanus est.

Isthm. II.

V. 39. *οὐδέ ποτε ξενίαν οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέστειλ' ἱστίον ἀμφὶ τράπεζαν· ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν θερείαις, ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς ἀκτάς.* In his aut parum aut nimium explicant. Poeta hoc dicit: nautae et vento nonnunquam coguntur vela remittere, neque per hiemem possunt navigare: Xenocratis nihil unquam comminuit hospitalitatem; imo omni tempore summa usus est. Inter Phasin aestatemque et Nilum hiememque nulla singularis coniunctio. Sed coniunguntur ita, ut copiosissime dicatur, hospitalitatem illum exercuisse *semper maximam.*

Isthm. III.

V. 31. *ἀνορέαις δ' ἐσχάταισιν οἴκοθεν στάλαισιν ἅπτονθ' Ἡρακλείαις. καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν.* Pauwius: subaudiendum *ἐστί.*

Heynius: »*καὶ μηκέτι (ἦν, ἐξῆν) μακροτέραν (ἔτι) ἀρε-*
»*τὰν σπεύδειν (τινά* vel *αὐτούς)* — quae etiam le-»niri possunt, si pro *καὶ* legas: *ὡς μηκέτι μακροτέραν* »*σπεύδειν ἀρετάν.*« Schmidius, Hermannus, Boeckhius, Dissenius imperativum intelligunt: »ac noli maio-»rem affectare gloriam.« Quod mihi non contigit sentire. Intelligo hoc: Cleonymidae virtutibus summis eo progressi sunt, ut attingant columnas Herculis atque non possit omnino maior quaeri virtus. Poeta summum dicere voluit dixitque.

V. 36. *νῦν δ' αὖ μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον χθὼν ὥτε φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις δαιμόνων βουλαῖς.* In verbis ita scriptis primum *μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον* ita cogitanda sunt: *μηνῶν μετὰ χειμέριον ζόφον ποικίλων*; quod ex rhythmo auscultare licet, qui vocem *ποικίλων* extollit supra reliquas; quod nisi fieret, diceretur: post hibernam floridorum mensium caliginem. Deinde subiectum non *ἑστία*, sed *χθών*. Ipsa imago pro re significata imponitur, et intra imaginem dicitur *ὥτε φοινικέοισι ῥόδοις.* Quod longum argumentis firmare.

V. 49. *ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων, πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι· τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ· καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν χειρόνων ἔσφαλε τέχνα* etc. Verba sic constituta Hermannus, assentientibus in universum Boeckhio et Dissenio, ita explicavit: »qui certamina non adeunt, tacentur; at etiam eo-»rum, qui certant, ignota manet sors, nisi si victo-»riam adepti sint. Nunc enim hoc, nunc illud dat »fortuna; atque interdum etiam inertior victoriam

«consequitur, quemadmodum Ulixes Aiacem vicit.« In quibus verbis mihi nihil sanum. In graecis hoc video: est vero incerta fortuna (h. e. eventus certaminum), priusquam ad finem perventum est. Nam haec et illa dat. Etiam fortiorem peiorum hominum ars etc. Quae ne nimium simplicia tibi videantur, hoc dicit: certabant; at licet vel praestantissimi certent, eventus incertus est atque fortuitus; interdum etiam meliorem etc.

Isthm. IV.

Primum structura prooemii expedienda. Quae sic se habet necessario: *σέο γ' ἕκατι καὶ μεγασθενῆ χρυσὸν νόμισαν ἄνθρωποι περιώσιον ἄλλων καὶ ἐριζόμεναι νᾶες ἐν πόντῳ καὶ ἐν ἅρμασιν ἵπποι* etc. Scilicet, postquam poeta Theam invocavit, poterat ita pergere: *καὶ γὰρ σέο ἕκατι χρυσὸν νόμισαν ἄνθρωποι περιώσιον ἄλλων, καὶ ἐριζόμεναι νᾶες* etc. Iam vero in priore sententia dicitur *σέο γ' ἕκατι*, *γάρ* autem in altero emergit membro. Quod ut intelligas, cogit ratio verborum. Cum enim in priore parte *καί* non possit »etiam« dicere, sed manifesto disiunctivum sit (quod fortius significari quam hac verborum collocatione non potest), cumque ita alterum *καί* desideretur, facile, ubi auditur *καὶ γὰρ ἐριζόμεναι νᾶες*, et alterum *καί* secutum esse intelligitur, et *γάρ*, quod etiam in priore membro dici potuit, huic nunc membro irrepsisse. Si quis forte dubitat, an possit fieri, quod fieri hic video, inspiciat alios locos, in quibus *γάρ* simili subrepit modo. Velut Olymp. XIII inde a v. 14. *ὔμμιν δέ, παῖδες Ἀλάτα,*

πολλὰ μὲν νικαφόρον ἀγλαΐαν ὤπασαν ἄκραις ἀρεταῖς ὑπερελθόντων ἱεροῖς ἐν ἀέθλοις, πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον Ὧραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσμαθ'. ἅπαν δ' εὑρόντος ἔργον. ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν σὺν βοηλάτᾳ χάριτες διθυράμβῳ; τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα, ἢ θέων ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον ἐπέθηκεν; — Itaque poeta quaecunque de Thea praedicat in duas disposuit partes, divitias in alteram, in alteram certamina collocans. Quae ipsa in bellica et ludicra dividuntur. Quibus verba διὰ τεὰν τιμάν communia sunt.

Dein quae proxime sequuntur verba: κρίνεται δ' ἀλκὰ διὰ δαίμονας ἀνδρῶν alii aliter explicarunt. Recentiores sic: distinguitur vero i. e. victoriis ornatur virtus per deos. Male. Nam ἀλκά est robur; quod nunc adiudicari vel distribui hominibus dicitur decreto deorum.

De v. 44. τετείχισται δὲ πάλαι πύργος ὑψηλαῖς ἀρεταῖς ἀναβαίνειν sexcentas legere licet explicationes. »Iam dudum Aeginetis magnum laudum munimentum »ab heroibus priscis exstructum est, quod suis escen»dant virtutibus excelsis.« »Exstructa est iam dudum »turris, in quam excelsae virtutes ascendant.« »Stru»cta iam diu exstat turris virtutibus arduis ascensu.« »Exstructa est iam dudum turris virtutibus arduis »ascensu canenti.« »Exstructa est iam dudum eis »a me turris, quam excelsis virtutibus ascendant.« »Τετείχισται πάλαι πύργος ὑψηλαῖς ἀρεταῖς ὥστε »ἀναβαίνειν τινὰ δεῖν αὐτόν, ut ascensu opus sit.« »Exstructa est Aegina ut turris etc.« Itaque subiectum vel Aeginam vel πύργον habent; ἀρεταῖς ὑψη-

λαῖς vel ablativum vel dativum; *ἀναβαίνειν* vel voci *ὑψηλαῖς* vel universae sententiae additum dictumque de ascendenda vel turri vel virtute idque vel rebus gestis vel canendo. Subiectum est: *πύργος*. Verba *ὑψηλαῖς ἀρεταῖς* ablativi sunt pertinentes ad *τετείχισται πύργος*. Vox *ἀναβαίνειν* non ad *ὑψηλαῖς* pertinet; neque enim potest verbis ita collocatis; sed per se addita est voci *πύργος* sive notioni altitudinis in reliquis expressae. Quo altitudo lucidius describitur ac linea quasi a culmine turris ad solum usque ducitur.

V. 54. *μαρνάσθω τις ἔρδων ἀμφ' ἀέθλοισιν γενεὰν Κλεονίκου ἐκμαθών· οὔτοι τετύφλωται μακρὸς μόχθος ἀνδρῶν· οὐδ' ὁπόσαι δαπάναι ἐλπίδων ἔκνισ' ὄπιν.* Heynius: »certet mihi aliquis, h. e. nemo, »qui gentem Cleonici noverit, contendat facile cum »ea de numero victoriarum. Nec enim certaminum, »quae illi subierunt, memoria oblivione deleta est, »neque impensae in ea factae obliteratae sunt ho- »minum memoria.« Boeckhius et Dissenius: »con- »tendat aliquis labore de certaminum praemiis, gente »Cleonici cognita. Non hebescit, deficit diuturnus »(quanquam diu iam continuatus) labor horum vi- »rorum, nec quotquot fuerunt sumptus votorum, »hoc attrivit eorum studium. *Τυφλοῦσθαι* est splen- »dore privari. *Δαπάναι ἐλπίδων* impensae, sumptus »facti ad spes, ad vota sua consequenda.« *Μόχθος καὶ δαπάναι* necessario nunc sunt labor et impensae. *Οὐ τετύφλωται μακρὸς μόχθος* dictum est de eventu: profecto non frustraneus fuit longus labor virorum. *Ἐλπίδων ὄπις* internus animi motus est

eorum, qui victoriam sperant. Οὐδ' ὁπόσαι δαπάναι ἐλπίδων ἔκνισ' ὄπιν significat: nec quotquot sumtus i. e. quoties certaverunt, laesa iis est ἐλπίδων ὄπις h. e. semper vicerunt. Singularis sequitur, quia singula certamina cogitantur. Quod illi intelligunt, qui coniungunt δαπάναι ἐλπίδων (quae dictio mihi quidem prorsus absona non solum ab hoc loco, sed a Pindaro), de Cleonymidis dici potuit aliisve, qui certaverint sine victoriis, non de gente huius carminis. Itaque poeta: Cleonici gentis, inquit, viri semper et laborabant in rebus gymnasticis et impensas faciebant in certaminibus adeundis. Neutrum frustra.

Denique sequentia verba: αἰνέω καὶ Πυθέαν ἐν γυιοδάμαις Φυλακίδᾳ πλαγᾶν δρόμον εὐθυπορῆσαι χερσί, δεξιὸν νόῳ ἀντίπαλον denuo liceat interpretari. Ac primum iungendum cum Hermanno ἐν γυιοδάμαις χερσί, quae ita disiungi poterant, quia, quae interposita sunt, ad manus Pytheae pertinent. Significant enim, Pytheam fratrem iuniorem instituisse in pancratio. Nam πλαγᾶν δρόμος non potest dicere nisi plagarum in pancratio viam rationemque, qua alter alterum petit. Hanc si quis alii dicitur εὐθυπορῆσαι ἐν χερσίν, intelligis praeceptorem. Nam εὐθυπορῆσαι sic active dicitur: recte duxisse, direxisse. Itaque Pytheas in fine carminis de victoria fratris cantato, ut alibi magister victoris, laudatur. Cuiusmodi aliquid sequi statim ab initio sentis, ubi post totius gentis laudes sequitur: αἰνέω καὶ Πυθέαν. Hinc additur δεξιὸν νόῳ ἀντίπαλον. In quibus ἀντίπαλος est Pytheas ille fratrem certando docens. Potuit autem, inquit,

bene instituere, quem novimus omnes, experientia edocti, quam peritus artis sit.

Isthm. V.

In versu quarto scribatur *δεξαμένου* (*Λάμπωνος*): ut recte sequantur verba *παίδων ὁπλοτάτου Φυλακίδα νικῶντος*. *Δεξάμενοι* explicatur quidem hodie, sed non potuit dici. — In sequentibus postquam *κατασπένδειν* disiunctum est, verba *Αἴγιναν κάτα* dicunt: auf Aegina herab. — In v. 71 verbis *μέτρα μὲν γνώμᾳ διώκων, μέτρα δὲ καὶ κατέχων· γλῶσσα δ' οὐκ ἔξω φρενῶν* hoc dicitur: Lampo *γνώμῃ, ἔργῳ, γλώσσῃ μέτρον* tenet. Asyndeton, quod nunc sequitur, *φαίης κέ νιν ἀνδράσιν ἀθληταῖσιν ἔμμεν Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις χαλκοδάμαντ' ἀκόναν* (Dissenius explicationi suae: »ceterum redit poeta »per hanc sententiam cum vi ad principium loci, »*Λάμπων δὲ μελέταν ἔργοις ὀπάζων*. Hinc est asyn»deton« in suo, quo utebatur, exemplari, quod vidi, haec verba adscripsit: nisi tamen *δέ* scribendum pro *κε*) asyndeton, inquam, nititur in accumulatione sententiarum rhetorica et collocatione verborum. Qua efficitur, ut idem dicatur, ac si legeretur: *athletis vero* ille etc. vel: denique, quod *athletas* adtinet, *his* illum dixeris etc.

Isthm. VI.

In versu decimo genitivus *Σπαρτῶν ἀκαμαντολογχᾶν* negligenter explicatur. Cogitatur: *ἤ* (*μάλιστα θυμὸν τεὸν εὔφρανας*) *Σπαρτῶν ἀκαμαντολογχᾶν εὐφρανθεῖσα*.

Isthm. VII.

Quae Dissenius adnotavit ad prooemium: »ordìtur coryphaeus Pindari partes agens, quem dicere haec puta choro Telesarchi vestibulum occupante«, ipsa quidem non indigere refutatione videntur, sed monent me, ut in universum de coryphaeo in explicationem carminum Pindaricorum immisso tribus verbis dicam. Prima cuiusque carminis verba a coryphaeo canebantur. Deinde chorus concinebat. Hoc docere videtur codex Siciliensis Kircheri. Quod si verum est, necessarium fuit vel usitatum propter rem musicam. In his subsistendum. Quae praeterea exponuntur, falsa sunt. Neque plures unquam, quam, qui ipsum introitum occupant, versus, neque sensus eorum quidquam cum coryphaeo habet commune. Delenda, quae Boeckhius Disseniusque passim in commentariis singulorum carminum, velut Olymp. I, Nem. III, al., de coryphaeo coniecerunt; quibus suam ipsorum de *poesi Pindarica* doctrinam maculaverunt. Exstirpanda, quae Thierschius in praefatione versionis germanicae hac de re narravit. Non enim unquam aut chorus canit aut coryphaeus, sed poeta. Denique furca expellendae etiam recentiorum de dramatum choris opiniones. Nam merae sunt opiniones. At pervulgatae hodie et ut certissimae circumlatae dicentes, iambos, anapaestos a coryphaeo recitari omnes; praeterea et recitare et canere in orchestra choreutas sex, quinque, quatuor, tres, duos, unum. Quae somnia omnes tragoedias comoediasque et quod superest satyrorum permearunt ut pestis aliqua lectionemque dramatum corruperunt. Non diu erit cum ab

omnibus credetur: in universum (nam singularia in hac quoque re fuerunt) totum chorum et cecinisse omnes omnium cuiusvis generis canticorum partes, et recitasse et anapaestos et iambos ad unum omnes. Verum de his quoque rebus alio commodius exponetur loco.

In v. 7 verba ἄπρηκτα κακά vertunt omnes: »ἀνωφέλητος λύπη, inutiles aerumnae, luctus inuti»lis; κακά, curae, dolores; ἄπρηκτα, quibus nihil »proficias.« In quibus verbis stupeo antea non auditis. Dicimus, inquiunt, interdum per vocem »mala« aerumnas, quae malis fiunt. Audio. Sed, si quis, ubi de malis sermo est, dicit: inutilis luctus, distinguit inter mala ut causam luctus et luctum, quem nihil efficere contra illa significat. Fefellit elegantia vocis παυσάμενοι. Ἄπρηκτα passive dictum est. Tu verte: aufhörend von i. e. ablassend von den Uebeln, gegen welche nichts zu machen ist.

Tantum. Invitus scripsi. Nam discendi suavior multo quam scribendi labor. Sed cum privatim litteras antiquas docentis publicum non supervacaneum videretur esse specimen, suscepi tandem aliquam vel potius incepi scriptionem: nam nunc altera mihi addendorum pars scribenda erit. Nisi haec ita damnabitur, ut plura addere vel corrigere nefas sit. Quae utut erunt: ἵσταμαι δὴ ποσσὶ κούφοις ἀμπνέων τε πρίν τι φάμεν· πολλὰ γὰρ πολλᾷ λέλεκται· νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεν βασάνῳ ἐς ἔλεγχον, ἅπας κίνδυνος.

BONNAE TYPIS CAROLI GEORGII.

Sphalmata typographica deprehendi

p 5 v. 14 ubi legendum: Aristocliden.
» 7 » 18 l. οἶ.
» 19 » 5 l. σὺν πατρὶ.
» 27 » 4 l. ut non in universum.
» 35 » 29 pro non patitur l. prohibet.
» 37 » 20 l. omues, qui audiebant, sensum etc.
» 38 » 23 l. protrudit.
» 52 » 5 l. ἀμφ' Ἀχέροντι.
» 59 » 21 l. χαρίτεσσί τε.

